1788

[Decolonia Domin.]

DE ARTE
RHETORICA
LIBRI QUINQUE

LECTISSIMIS VETERUM AUTHORUM

ÆTATIS AUREÆ

EXEMPLIS ILLUSTRATI

ET

AD USUM CANDIDATORUM ELOQUENTIÆ

ACCOMMODATI.

POLOCIÆ

In Privilegiata à SUA JMPERATORIA Majestate

Typographia *Coll*: Soc: JESU.

Anno Domini 1788.

Veneror inventa ſapientiæ, inventoreſque adire tanquam multorum hæreditatem juvat. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. Sed agamus bonum Patrem familiæ, faciamus ampliora, quæ accepimus; Major iſta hæreditas, à me ad poſteros tranſeat. Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille Sæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adiiciendi. Sed etiamſi omnia à veteribus inventa ſunt; hoc ſemper novum erit, uſus, & inventorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio.

Seneca; Epiſtola 64.

ELEMENTA RHETORICÆ

Quinque ſunt de Rhetorica generatim, ac proluſionis more quæri poſſunt. ſcilicet:

1. Quæ ſit natura, quis finis Rhetoricæ.
2. Quæ ſit illius materia.
3. Quæ ſunt illius partes.
4. Quæ ſit illius dignitas, vis, & utilitas.
5. Quibus rebus, ac ſubſidiis poſſit comparari.

§. I.

De Natura & Fine Rhetoricæ.

Rhetorica eſt ars ſeu diſciplina bene dicendi. hoc eſt, ornate, graviter & copioſe loquendi. *Rhetorica quid ſit?*

Ita Quintilianus Lib: 2.

Dicitur ars, quia certis quibuſdam & nunquam fallentibus præceptis continetur. *Quare vocatur ars?*

Dicitur ars bene dicendi, quia docet, quomodo optimis ſententiis, verbiſque lectiſſimis dici poſſit.

Notatio naturæ & animadverſio peperit artem. Cum enim aliqui nativa quadam facultate ſine ullo artis ſubſidio, bene dixiſſent, alii contra inſulſè omnino & male; extiterunt aliqui, qui diſcrimen illud obſerva- *Unde ars hæc orta?*

rent attentius, atque ita rem sensim ad artem ac præcepta revocarent; unde liquet non esse eloquentiam natam ex artificio, sed potius, artificium ex eloquentia profectum.

Quis finis Rhetoricæ? Finis artis Oratoriæ, est dicere apposite ad persvadendum, quod fit, docendo, delectando, & movendo; Docere necessitatis est, delectare svavitatis, movere vero seu flectere; victoriæ. Docet Orator, Argumentis & argumentatione; delectat ornato illustri & apto dicendi genere, movet & flectit amplificatione & affectibus.

§. II.

De Materia Rhetoricæ.

Quæ Materia Rhetoricæ? Nihil omnino est in rerum natura, de quo ordinate, eleganter, & copiose disserere non possit Orator. Ut enim observat Quintilianus: *Bene dicendi ars, non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur*. Unde ut dicit Aristoteles; Rhetoricæ materia est, quælibet quæstio ad dicendum proposita.

Quotuplex Quæstio? Quæstio, quæ Oratori ad dicendum proponi potest duplex est: Alia infinita seu universalis; alia finita seu singularis. *Quid infinita?* Quæstio infinita quæ vocatur etiam *Thesis*; est ea, quæ nullis alligatur, temporis, loci, & personæ circumstantiis, ut si quæretur generatim: *Sitne bellum gerendum, vel pax facienda?*

Quid finita? Quæstio finita, quæ etiam vocatur *Hypothesis*; est ea quæ universalem quæstionem restringit ad certas quasdam personæ, tem-

po-

poris, loci, reique circumstantias; ut si quæratur: sitne hoc anno nobis pax facienda, iis, quæ ab hostibus proponuntur conditionibus.

Genera quæstionum in quibus versari potest Orator, tria sunt: Genus judiciale, genus deliberativum, & genus demonstrativum. Jn judiciali spectatur accusatio & defensio. Jn deliberativo; svasio & dissvasio, Jn exornativo laus & vituperium. *Quot sunt questionum genera?*

§. III.

De partibus Rhetoricæ.

Rhetoricæ primariæ partes sunt quatuor: Inventio, Dispositio, Elocutio & Pronunciatio. Quemadmodum sunt quatuor præcipuæ Oratoris partes: *1mo* Argumenta invenire. *2do* Inventa disponere, *3tio* Disposita verbis exornare, *4to* Exornata pronuntiare. *Quæ & quot primariæ partes Rhetoricæ?*

Est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quæ valeant, tum ad faciendam fidem, tum ad motus excitandos. *Quid inventio?*

Est rerum inventarum in ordinem distributio. *Quid dispositio?*

Est idoneorum verborum & sententiarum ad res inventas accomodatio. *Quid elocutio?*

Est ea vocis ac corporis moderatio, quam res inventæ ac verba requirunt. *Quid pronunciatio?*

§. III.

De dignitate & utilitate Rhetoricæ.

Nihil de Rhetoricæ dignitate, vi, ac utilitate addi potest, ad hæc illustria Ciceronis verba de Oratore. *Quid est,* inquit, *aut* *Quæ Rhetoricæ dignitas, vis ac utilitas?*

tam

tam admirabile, quam ex infinita multitudine, existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibus verbis, ornata oratio; & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, Senatûs gravitatem, unius oratione converti?

Quid majus, quid splendidius dicere posset eloquentia, si pro se ipsa loqueretur.

§. V.

De subsidiis Rhetoricæ.

Quæ Rhetoricæ subsidia? Omnes, de quibus supra (§. 4.) Rhetoricæ partes quatuor potissimum subsidiis comparari possunt; scilicet. Natura, arte, exercitatione, & imitatione.

Quid confert natura? Natura ex parte animi confert celeres motus ad excogitandum acutos, ad ornandum uberes, ad memoriam firmos ac diuturnos; ex parte vero corporis, confert canoram vocem, solutam linguam, aptamque oris, & totius corporis conformationem.

Quid ars? Ars excolit, quæ dedit natura, supplet, quæ illi desunt, quæ vero redundant luxuriantque castigat atque coercet.

Quid exercitatio? Exercitatio sive assiduus usus scribendi vel dicendi conservat, & auget, quæ ars expolivit aut emendavit in natura; multi enim naturæ vitium exercitatione sustulere, ut olim Demosthenes, aliique sexcenti.

Quid imitatio? Imitatio efficit, ut optimo cuique Authori similes in scribendo aut dicendo evadamus.

mus. Et quoniam imitatio si recte fiat, multum adfert ad eloquentiam, pauci autem sunt, qui imitari sciant ut par est, ideo de imitandi ratione fusius tractandum esse existimavimus.

1mo. Deligatur imitandus summus aliquis & excellens Author in quem tota mente intuearis; Js autem erit in Poetis Virgilius, qui cæteros omnes Poetas longe post se reliquit; & ut ipse loquitur de Musæo: *Toto vertice supra est.* In Oratoria verò arte deligatur unus Cicero, de quo quam tritum ac pervulgatum, tam verum est illud Quintiliani dictum: *Ille sciat se profecisse, cui Cicero valde placere cœperit.* Et in quem bellissime cadit illa Senecæ de illo vox: *Ingenium, quod solum Populus Romanus par Imperio suo habuit.* *Quære cta imitandi ratio & via?*

2do. Non optimos solum Auctores imitaberis, verum etiam, quæ in illis optima sunt, ac præstantissima, unde præ oculis habeas oportet loca illa eximia, in quibus se plurimum amavit Cicero, & in quibus se ipsum videtur quodammodo vicisse, cujusmodi sunt illius pleræque perorationes, illas inter scribendum lectitabis identidem, ut illarum assidua lectio Tulliani Styli germanum tibi saporem & gustum aspergat.

Ut autem in promptu habeas selectissima illa, quæ subinde imitari possis Ciceronis loca; en eorum indicem:

Præ cæteris insignes sunt Ciceronis Perorationes: Pro Milone, pro Fontejo, pro Ligario, pro Flacco, pro Quintio, pro Murena, in quibus omnia eloquentiæ vela pandit

Ora-

Orator, & Auditorum animos penitus videtur incendere: præſertim cum eſt excitanda commiſeratio, ut cum ait pro Fontejo. *Tendit ad vos Virgo Veſtalis manus ſupplices easdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere conſvevit* ....

Milonianæ Orationis Exordium & Narratio ſummo in pretio ſunt apud omnes peritos rerum æſtimatores. Laudantur etiam ſummopere 1mæ & 2dæ. Catilinariæ exordia; item nobiliſſimum illud Exordium 2da Philippica. Vide nominatim in hac oratione duos illos vehementiſſimos locos, ubi Antonio objicit Lupercalia. *Ad Lupercalia veniamus* & impudicæ vitæ ſordes exprobrat: *Visne igitur te inſpiciamus à puero .... Sumpſiſtine Virilem togam, quam ſtatim muliebrem reddidiſti* ......

Vide eximium locum, Oratione 2da in Catilinam, in quo Cicero maximum exercitus Catilinarii contemptum inſpirare conatur Senatui, populoque metum omnem ejus copiarum eximere. Incipit autem ab his verbis: ..... *quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatos, & talaribus tunicis* .... hic videre eſt, quam Orator bene docuerit, qualis ſit miles Catilinæ, quàm verbis delectis, deſcriptionibus, jocis, ironiis oblectarit, quàm ad contemnendam manum vireſque Catilinarias figuris, ac comparatione cum exercitu Romano, animos commoverit.

Orationi pro Ligario tanta vis ineſt, ut Cæſar, tametſi certum illi ac deliberatum eſſet Ligario non ignoſcere, victus tamen de-

denique fuerit, chartæque illi è manibus elapsæ ad hæc Ciceronis verba: *Tu, qui oblivisci nihil soles nisi injurias ....*

His, addito in Oratione pro Archia, humaniorum literarum utilitatem & fructum. In oratione pro L. Manilia, virtutes Imperatorias. In Oratione in Verrem, hypotyposim illam, qua mollem libidinosamque impuri Verris vitam describit: *Ita vivebat bonus ille Imperator, hibernis mensibus, ut eum non facile, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem, quisquam videret ....*

Denique Oratio tota pro Marco Marcello, exquisitissimo quodam artificio est elaborata, nihil vero exquisitius, quam laudes illæ, quibus Cæsaris clementiam commendat. *Domuisti gentes .....* Et cetera plurima, quæ passim in hac Rhetorica sparsa invenies.

3tio. Illustria hæc, quæ modo indicata sunt loca tibi quasi jure tuo poteris vindicare, si *primo*, vim ac pondus sententiæ retineas, verba vero, vel omnia, vel majori saltem ex parte immutes. *2do* Si eadem fere servando verba, transferas illa, ad alium vel similem, vel contrarium sensum. v.g. dixit Tullius in Antonium: *O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? ....*

Poteris verba hæc paululum immutata in Judam, hortum ad Christum prodendum subeuntem, oportune transferre. *3tio* Recte imitaberis, si figuras, si periodos, si transitiones, & totum Orationis ductum ac filum potius imiteris quam verba ipsa vel sententias.

4to. Laudem habebit imitatio, si propositum

tum exemplar vel in pauca contrahas, vel amplificando fuſius uberiuſque dilates.

5to. Laudem denique maximam habitura eſt imitatio, ſi quos imitaris, eos non dicam adæquare, ſed vincere etiam omni ope coneris. Ut ait Quintilianus Libr: 10. *Conandum eſt aliquid ſupra eos, quos imitaris.*

ARTIS RHETORICÆ

LIBER PRIMUS.

De Inventione.

Quid inventio?

Inventio est excogitatio rerum verarum aut veri similium, quæ valeant, tum ad fidem faciendam, tum ad motus excitandos.

Unde sumuntur res sive rationes?

Res sive rationes quæ ad aliquid probandum & faciendam fidem valeant, sumuntur ex quibusdam fontibus sive locis Oratoriis, quos Tullius appellat. *Argumentorum sedes, in quibus latent, & ex quibus sunt depromenda.*

Quinam sunt illi fontes?

Antequam de locis Oratoriis, omnium rationum & argumentorum fontibus disseram, dico primum & copiosissimum omnium fontem esse ipsorum Adolescentum ingenia, qui si dextré á Magistro ducantur, rationes cujusvis argumenti, citius sua ipsi in mente, quam in quibusvis aliis fontibus reperient. Hunc igitur fontem ut Eloquentiæ Magister excolat, binas, ternas, aut plures etiam propositiones faciliores imprimis, tum selectio-

res diſcipulis ſuis proponat; eaſque, ut ſuis ipſi rationibus probent, jubeat, tum ulterius interrogando, aliquas ipſe inſinuet, diſcipuloſque in excogitandis rationibus comitetur & fulciat. Sit propoſitio:

Instituenda ne est peregrinatio ad exteras nationes?

Qui è juvenibus affirmarit *instituendam eſſe*; Jubeatur probare, *credibile est dictu-rum*. Quia multa diſci poſſunt apud exteros, quia multa videntur in exteris regionibus, quæ non videntur domi.

Alius forte dicet. Curioſam, jucundamque rem eſſe, videre Urbes, Templa, Palatia, diverſos homines &c. *quodſi diſcipulus hæſitet, interrogetur*. An viros eximios noverit, aut audierit, qui ex Exteris rediêre? *hinc formare doceatur rationem ſive argumentum*. Quia multi eximii homines, reverſi ab exteris ornant Patriam. *Interrogetur iterum*. Eodemne modo Regna omnia & Reſpublicæ reguntur? *Reſpondebit forte; ſanè non eodem. Hinc alia conficietur ratio*: Qui nempe peregrinantur, diverſas Regnorum & Rerumpublicarum formas ac ſpecies, propriis ſpectant oculis, diverſa gubernationum diſpiciunt perdiſcuntque genera *Interrogetur ulterius*. Poteſtne aliquid apud exteros obſervari, quod ſit utile ſuæ Patriæ? *Item* Suntne apud Exteros Viri Sapientes, Doctiſſimique? Suntne milites, Duces, & Imperatores bello clari? Suntne admirandi rerum diverſarum Artifices? Suntne Tribunalia, conſilia, comitia &c. *Ulterius*. Audiſtin' ex hiſtoria Viros ſummos peregre ſapientiam quæsiſſe.

Pla-

Platonem, Pithagoram, Ciceronem, Hieronymum, Auguſtinum &c. &c. Ultimis his temporibus de Petro Magno Roſſiæ Noſtræ Imperatore? Hoc ſane modo ad ſolidas rei cujuſvis rationes inveniendas, expeditius forte quam alio quovis Tyrones Eloquentiæ candidati pervenient. Cui quidem rei, id etiam maximopere opitulabitur, ſi Magiſter pro occupatione domeſtica, principio præſertim, aſſignet Tyronibus, ut ſimplices duntaxat rationes, unius, duarum, triumque Propoſitionum afferant, abſque ullo Elocutionis ſtudio, ſed aperte, & diſtincte, cum particulis: *quia, quia*.

Sit pro norma Exemplum.

E ſalute Principis, ſalus & integritas Reipublicæ pendet.

Prælibentur tyronibus rationes, quas deſcriptas apportent.

Rationes propoſitionis

Quia Princeps capitis; Reſpublica corporis inſtar eſt, tota itaque iſtius ſalus, capitis ſtat ſalute. *Quia* Princeps pacis & tranquillitatis publicæ conſervandæ, juſtitiæ rectè adminiſtrandæ, tuendis augendiſque civium opibus, concordiæ inter cives fovendæ, tollendis diſſidiis, periculis, à quovis vicinò Principe, Patriæ imminentibus continuo avertendis ſtudet totuſque incumbit. *Quia* dignos & idoneos Magiſtratibus admovet, bonos præmiis excitat, malos pænis & terrore, coercet, literatos fovet, pacis artes protegit, & amplificat &c. &c. Principe itaque integro, hæc omnia nobis integra; Prin-

Principis boni occasu, hæc omnia occidere necesse est. *Quia* Principes, si immortales habere non possunt, saltem diutissime eos regnare populi omnes, Regna, & Respublicæ divinitus optant. *Quia* nulla major jactura Regnis & Imperiis accidere potest, morte & occasu bonorum Principum. &c. &c.

Hactenus de modo juvandi Adolescentum ingenia, in inveniendis è naturali uberrimoque fonte, intellectu nimirum eorum ad quamvis datam propositionem rationibus. Plura exempla similia qui desiderat; adeat Artem Rhetoricam R.P. Francisci LE JAY Societatis JESU Libro 4to de Inventione in variis locis Oratoriis, studiose & arte elaborata. Nos ad explicationem Locorum Oratoriorum, unde erui, aut ad quos reduci solent rationes; revertimur.

Quot sunt genera Locorum? *Quid intrinseci?* *Quid extrinseci?*

Locorum genera duo sunt, alii enim petuntur ab ipsa re, de qua Quæstio est, & idcirco vocantur *intrinseci* seu *insiti*. alii extra rem, unde etiam vocantur *extrinseci* seu *remoti*. Sit propositio: *Cupiditates opum, voluptatum, potentiæque nimias coercere oportet.*

Quia (ut inquit Cicero) Non modo singulos homines, sed & universas Familias evertunt, totam etiam labefactant Rempublicam: Ex cupiditatibus, odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur. *Hæ rationes intrinsece & a rebus intimis cupiditati petitæ sunt. Jam si dicas: Magnificè sapienterque ad rem nostram Tullius:* Regium est inquit, ita vivere, ut non modo homini, sed

ne cupiditati quidem servias. *Hæc sententia Tullii, extrinsecus petita est, nec enim sententia Tullii nec Tullius ipse in cupiditate est.*

Loci Oratorii intrinseci sunt sexdecim; scilicet: Definitio, Enumeratio partium, Notatio, Conjugata, Genus, Species, Similitudo, Dissimilitudo, Comparatio, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Caussæ, Effecta, Comparatio. *Qui, & quot sunt intrinseci?*

Hos locos, Eloquentiæ Candidatus, in promptu semper, & ut ita loquar ad manum habeat, ac ubi res quæpiam ad dicendum proponetur, inspiciat diligenter, & cum judicio seligat; neque enim semper, nec in omnibus caussis, nec ex iisdem locis, eadem argumentorum momenta sunt. *Aristoteles Libr: 2. Cap: 24. & Quintilianus Libr: 5. Cap: 10.*

CAPUT I.

De Locis intrinsecis

§. I.

Definitio

Definitio est oratio rei naturam, vel nominis vim explicans. *Quid Definitio?*

Per definitionem igitur, res omnes, Personæ, animalia, arbores, virtutes vitia, artes, item nominum & vocabulorum vis, nobis innotescunt. Sic legendo authores incides forte in vocabulum, *Andabatæ* nescis quid

no-

nomen illud ſignificet? Definitio: *ſunt gladiatores, qui clauſis oculis digladiabantur.* Neſcis porro, quid ſint gladiatores? Definitio: *ſervi erant, quos Laniſtæ, artem armorum edocebant, ut poſtea populi oblectandi cauſa, in arena pugnarent.* Neſcis denique, quid ſint Laniſtæ? Definitio: *Magiſtri armorum ita à laniando vel laniena dicti, qui præerant ludis gladiatoriis.* Simili modo per definitiones, in aliarum omnium rerum cognitionem venimus.

Quotuplex definitio? Definitio duplex eſt; una propria ſive Logica, altera Oratoria, quæ potius deſcriptio vocanda eſt.

Quid Definitio propria? Definitio propria ſive Logica eſt, quæ conſtat genere & differentia. v. g. *Homo eſt Animal rationale.*

Genera ſunt. Animal, virtus, vitium, ars, ſcientia *&c.* *Differentia*, eſt id, quo inter ſeſe ſpecies differunt. Ut Leo ab Equo, Aquila ab alauda, temperantia à liberalitate, Superbia ab Acedia; Poeſis, à Grammatica.

Quomodo fit propria definitio? Propria ſive Logica definitio fit, ſumendo aliquid rei quæ definitur, commune cum aliis, deinde addendo aliquid illi unice proprium ac peculiare. Sic Rhetorica definitur: *Ars bene dicendi.* Quod ſit ars, hoc illi commune eſt cum aliis artibus, cum Grammatica cum Poëſi & cæteris, quod ſit *ars bene dicendi*, hoc unice ſibi proprium ac peculiare habet.

Quid definitio Oratoria ſeu Definitio, ſive deſcriptio Oratoria, rem quampiam non tam per genus & differentiam; ſicut Logica, ſed modis (*de quibus mox*) ſibi propriis, ita deſcribit, ut & rei naturam ex-

explicet, & ampliorem ornatui ac amplificationi campum aperiat. *descriptio?*

Definitio vel descriptio Oratoria sex potissimum modis fieri solet. *Modus tractandi hujus loci?*

1mo. Fit per congeriem multorum nominum, ex quibus in rei cognitionem facilius devenimus. Sic Cicero Lib: 5. Quæstionum Tusculanarum: definit, quid sit Philosophia?

O vitæ Philosophia dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, Mater omnium artium. quid est aliud, ut ait Plato, nisi Deorum inventum.

Similiter Libr: 2. de Orat: quid sit Historia?

Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magistra vitæ, nuntia vetustatis.

Similem definitionem Curiæ Romanæ, vide in Oratione pro Milone. Nro 90. Calamitatis. in Oratione pro Plancio, Nro 70.

Ipse similiter poteris definire, quid sit Patria?

Quid enim est illa Patria? Locusne duntaxat, in quo primum àërem hausimus, primam lucem aspeximus? at jam & hoc ipso, sacri primique hospitii nomine, quam nobis debet esse jucunda? Verum enimvero illa nostri parens, illa altrix, educatrix, conservatrixque est. Illa vetustissima Majorum nostrorum tot à sæculis sedes, illa certum posterorum quandoque nostrorum, domicilium. Fons illa est paterni, materni, avitique sanguinis, decorum, opum, & dignitatis nostræ; non aliam communem Matrem tutricemque, quàm hanc propitii nobis dederunt Superi. Ejus in si-

nu vivimus; Ornamenta illius nos ornant, fertilitas nos ejus nutrit, opibus illius ditescimus, ejus cohonestamur gloria, illius exaltamur trophæis. Quidquid demum Patriæ est, nostrum est; imo nos, nos ipsi Patria sumus &c. &c.

2do Fit per congeriem causarum: sic Seneca Epistola 76. ostendit in homine bonum omnium maximum, esse rationem.

Omnia bono suo constant; Vitem fertilitas commendat; sapor vinum, velocitas cervum. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras, cursus, si consequi, audacia, si mordere; id in unoquoque optimum est; cui nascitur. In homine optimum quid est? Ratio; hac antecedit animalia, DEOS sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus communia, valet viribus? & Leones. Formosus est? & Pavones. Velox est? & Equi. Non quære quid in se maximum habeat; sed quid suum? corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum? & bestiæ, & vermes. Habet vocem? Sed quantò acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem luſciniæ. Quid in homine proprium? Ratio; hæc recta & consummata, felicitatem hominis implevit.

Similem definitionem hominis à causa formali invenies in Cicerone Lib: 1. de Legib: Nro 54.

3tio Fit per congeriem effectuum. Ita Cicero virum bonum definit ab effectis. Pro Cæcinna Nro 78. *Vereor de tali Viro, ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc di-*

dicam, nunquam ejus authoritatem nimium valere, cujus prudentiam Populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit, qui juris civilis rationem, nunquam ab æquitate ſejunxerit. &c. Vide ulterius citatum locum.

Similem belli crudelis ab effectis definitionem, vide 14. Philip: Nro 8. Bellum &c.

Bene ab effectis definies peccatum, ſi dixeris: *Peccatum eſt peſtis animæ, conſcientiæ labes, vitæ pernicies, naturæ dedecus, Orbis ruina, odium DEI.*

4to. Fit per congeriem ſimilitudinum. Ut ſi dicas cum Petrarcha. *Pulchritudinem eſſe blandum hoſtem, dulcem raptorem, tortorem fraudulentum, laqueum pedibus, oculis velum &c.*

Eodem modo à definitione adhortari poteris adoleſcentem ætati ſuæ nimium & valetudini fidentem: *Adoleſcens! ætati nimium & valetudini ne crede. Flos eſt, cito marceſcit, umbra eſt, momento vaneſcit, lætum ver & amœnum, ſed minime diuturnum, ros matutinus, quem ſol oriens exſiccat, pulvis, quem levis aura diſſipat.* Obſerva id genus definitionibus caute admodum utendum eſſe; *& cum mica ſalis, ut ait Catullus.*

5to Fit per Adjuncta. Ita Chymicam artem; non minus verè, quam lepidè definies: *Chimia eſt ars cujus principium eſt mentiri, medium laborare, finis mendicare.*

6to Fit definitio, per negationem & affirmationem, cum nempe Orator dicit prius quid non ſit res, ut deinde melius intelligatur, quid ſit: Ita Cicero in Piſonem Nro

 23.

23 & 24. probat Pisonem non fuisse Consulem, definiendo consulatum, quem negat esse positum in lictoribus, in toga, sed in consilio, cæterisque virtutibus. *Tu etiam mentionem facies consulatûs tui; aut te fuisse Romæ consulem dicere audebis? Quid tu? in lictoribus, in toga, in prætexta esse consulatum putas? .... Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatûs.*

Omnium elegantissima ratio tractandæ definitionis hæc est, quam postremo hoc loco attulimus, cujus plura exempla invenies: In Oratione Ciceronis pro domo sua. Nro 85. ubi Orator definit primo quid non sit, deinde quid sit Populus Romanus. Item Philip: 3. Nro 12. item Oratione pro Sextio Nro 97.

Ipse ad formam horum exemplorum definire poteris, verum Christianum, verum Amicum, verum Oratorem. &c. &c.

§. II.

Enumeratio partium.

Quid Enumeratio partium? Enumeratio partium, est oratio, qua totum in suas partes distribuitur. Ita *Civitas* in fora, plateas, Templa, Palatia, Ædes, fontes, pontes &c. Ita *corpus humanum* in sua; *arbor* in sua membra distribuitur.

Porro sicut multiplex est totum, ita multipliciter etiam argumentum ab enumeratione partium ducitur, Et quidem:

Modus tractan- 1mo Ducitur argumentum ab Enumeratione partium, dum totum quodpiam in

quas-

quaſcunque indiſcriminatim partes, ex qui- *di hujus*
bus conſtat, diſtribuitur. Talis eſt in Plinii *loci?*
Panegyrico illuſtris illa Trajani in urbem ingreſſus ab enumeratione partium deſcriptio: *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quominus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes, ægri quoque, neglecto medentium imperio ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemque prorepere. Alii ſe ſatis vixiſſe Te viſo, Te reperto alii, magis vivendum eſſe ſibi prædicabant. Videres referta tecta, & laborantia, oppletas undique vias, alacrem hinc inde populum &c.*

2do Cum totum diſtribuitur in partes ſuas *eſſentiales*, ut vocant Philoſophi, ex quibus conſtat. Ut homo in corpus & Animam; Anima in memoriam, intellectum, & voluntatem.

3tio Cum totum diſtribuitur in eas partes, quas iidem Philoſophi *integrantes* vocant, ut corpus, in caput, pedes, brachia. Sic Cicero Oratione in Piſonem, Nro 1. Singulas capitis illius partes enumerat & excutit. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi, deceperunt; Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit.*

3tio Cum genus dividitur in ſuas ſpecies. Ut virtus in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam. Habes exemplum hujuſmodi enumerationis Oratione pro Plancio Nro 80. *Etenim judices, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen*

ni-

nihil est, quod malim, quàm me & gratum esse & videri; hæc est enim virtus non solum maxima, sed etiam Mater omnium virtutum reliquarum. Quid est pietas? nisi voluntas grata in Parentes. Qui sunt boni Cives? Qui belli, qui domi de Patria bene merentes? nisi qui patria beneficia meminerunt; Qui Sancti, qui religionem colentes? Nisi qui debitam Diis immortalibus gratiam, justis honoribus & memori mente persolvunt. Quæ potest esse jucunditas vitæ sublatis amicitiis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos?

4to Fit enumeratio per Causas. Ita Cicero de Officiis libro 2do. varias causas adducit, ob quas homines hominibus obstringuntur: *Homines hominibus obstringuntur, aut benevolentiæ gratia, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris ergo, si cujus virtutem suspiciunt, aut si cum rebus suis bene consulere arbitrantur, aut cujus opes metuunt, aut à quibus aliquid expectant, aut postremo pretio & mercede ducuntur, quæ sordidissima, & inquinatissima est quidem ratio. &c.*

5to Fit enumeratio per effecta. Ita Idem Cicero Oratione 2. in Catilin: Nro 7. per congeriem effectuum scelera Catilinæ enumerat: *Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod ille non conceperit? Quis tota Italia veneficus? quis latro? quis sicarius? quis parricida? quis testamentorum subjector? quis corruptor juventutis? quis corruptus? quis perditus? qui se cum Catilina non familiarissime vixisse, fateatur.*

1ma Regula hæc eſt: Affirmatis omnibus, aut primariis partibus, affirmatur totum. Ita Tullius probat Pompejum eſſe Summum Imperatorem; primarias optimi Imperatoris virtutes enumerando: *Ego enim exiſtimo in Summo Imperatore quatuor has res inesſe oportere: Scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, felicitatem.* Pergit deinde, & quatuor hæc in Pompejo ſumma eſſe probat. *Quis igitur hoc homine ſcientior unquam aut fuit aut eſſe debuit, qui è ludo atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt.* Deinde de ejus juſtitia: *Cujus legiones ſic in Aſiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitûs, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur.* Tum de ejus temperantia. *Illum non avaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem &c.*

Quæ ſunt Regulæ & leges Enumerationis Partium?

2da Regula hæc eſt. Negatis omnibus, aut præcipuis partibus, negatur totum, Sic probat Tullius Antonium non eſſe Conſulem: *Negat hoc Brutus Imperator, negat Gallia, negat tota Italia, negat Senatus, negatis vos; Qui igitur illum Conſulem, niſi latrones putent?*

Ut ad ſimilia enumerationum exempla, aſſueſcant Tyrones, attendendum illis imprimis eſt, ad diverſa, virtutum, munerum, perſonarum, Magiſtratuum officia. Ut Principis, Senatoris, Præſulis, Ducis, Patris, Domini,

mini, filii, ſervi, militis, coloni, Mercatoris &c. quæ eorum muneris ſunt. Sic v. g. Si vel Judici diligentiam in ſuo munere ſvadeas, vel eundem laudes, hæ partes & officia muneris ejus menti occurrent: Judicis officia ſunt: Pauperibus ac divitibus, potentibus perinde ac imbellibus, civibus & externis, amicis & hoſtibus, æque adminiſtrare juſtitiam, à muneribus quibuſvis, majorem in modum abhorrere, gratiæ, nobilitati, potentiæ, nihil tribuere, præſtiti juramenti religionem continuo præ oculis habere; conſcientiam cum ſcientia juris conjungere. Meminiſſe DEI & Principis munus, in judiciorum adminiſtratione contineri; dignitatem, honores, capita, fortunas Civium, tranquillitatem publicam & privatam omnium, è recta juſtitiæ adminiſtratione pendere. &c. &c.

§. III.

Notatio Nominis & Conjugata.

Ad unum idemque caput duos hoſce locos propter affinitatem revocamus; quamvis vero uterque non multum valet ad perſvadendum, quia tamen non parum valere videtur ad delectandum, & ad orationem lepore aliquo & ſale condiendam, idcirco ab Oratoribus interdum ſummis adhibetur.

Quid Notatio nominis? Notatio nominis eſt locus, qui verborum originem, vim & ſignificationem inquirit, ut conſul, à conſulendo, Imperator; ab imperando, Senatus a ſenibus dicitur.

Ita Cicero notatione nominis ludit in feſta Verrea, quæ Verres in Sicilia ſuo nomine

ne inſtitui curaverat. *O præclara Verrea, quo enim non acceſſiſti, quo non attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod fanum denique, quod non everſum à te atque exterſum reliqueris? quare appellentur ſane iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex moribus naturaque tua, conſtituta eſſe videantur. 4. Verrina. Nro 52.*

Sic etiam pro Roſcio Amerino Nro 124. Chryſogonum in avaritiæ ſuſpicionem vocavit, Cicero ludens in ipſius nomine, quod aureum, aut quaſi auro genitum ſignificat. *Venio nunc,* inquit, *ad aliud nomen aureum Chryſogoni &c.*

Modus tractandi hujus loci?

Notatione nominis utitur Orator, quando in nomine aliquo, laudem, vel dedecus, aut jocum aliquem non ſcurrilem ac mimicum, ſed liberalem & urbanum invenit. Sic probare poſſes à notatione nominis: *Magiſtratum oportere eſſe ſapientem:* Nam & ipſum nomen Magiſtratus à Magiſtro ſeu docente derivatur. Similiter, *Senatores non ſint juvenes.* Senatus enim ipſe nomen à *Senibus* duxit. Similiter legem à *legendo* dictam volumus, ut vel ex ipſo conſtet nomine, ideo eſſe leges ut ab omnibus legantur, ediſcantur, ſciantur. *Modeſtia à modo* provenit, ut igitur modeſtus ſis, modum decentem ſervare in omnibus debes.

Quid ſunt Conjugata?

Conjugata ſunt, quæ ab uno orta vocabulo, varie commutantur. Ut ſapiens, ſapientia, ſapienter, Imperium, Imperator, imperare.

Ex hoc conjugatorum loco ingenioſe admo-

modum Cæsarem laudat Cicero: Oratione pro Marcello.

Cæteros quidem omnes victores, jam ante æquitate & misericordia viceras; hodierna vero die te ipsum vicisti ..... Recte igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

Item Philip: 11. Nro 36. *Animadverti, dici jam à quibusdam exornari nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari ... Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta Reipublicæ.*

Item Verrina 1. Nro 26. *Ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt, sed omnino omnis improbitas, id quod Populus Romanus jam diu flagitat, extinguenda atque delenda sit.*

Item illud Terentii: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Modus tractandi hujus loci, ex ipsius definitione & adductis exemplis satis liquet.

§. IV.

De Genere & Specie.

Quid genus? Genus apud Oratores dicitur illud, quod est commune multis, & multa sub se complectitur, Ut virtus sub se continet: justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam. Item animal, arbor, avis, tot species habent, quot diversa specie animalia, arbores, aves, audiunt.

Observa. Tametsi apud Philosophos multum ponitur discriminis genus inter & speciem, plerumque tamen apud Oratores, u-

trum-

trumque confunditur ita, ut quidquid habet multa infra se, sive specie, sive numero, sive quovis alio modo diversa, genus appelletur; sic sub genere: *bonum*, continentur, bona animi, bona corporis, bona fortunæ, bona æterna, bona temporalia, bona privata, bona publica. *&c.* Sub genere *boni publici* continentur: Religio, Princeps, Magistratus, pax, justitia, concordia Civium, potentia, opes, artes, commercia, opificia *&c.* hæc enim sunt publica cujusque Regni vel Imperii bona.

Ejusmodi genera, quæ & inventioni, & solidæ amplificationi inexhaustum fontem aperiunt, sunt: *Honestum, utile, justum, necessarium, facile, jucundum; & his contraria.*

Sic sub genere honesti, continetur quidquid est; *laudabile, commendabile, gloriosum, plenum dignitate, conscientiæ consonum, Civile, urbanum, grave, sapiens, prudens, heroicum &c.* Ut si proponas. *Victis salutem dandam esse:* dices id in genere; honestum esse; deinde in specie, id esse pulchrum, dignitate plenum, illustre, gloriosum, quid enim gloriosius, quid memoria & laude hominum dignius, quàm parcere victis, eosdemque suæ clementiæ præcones efficere *&c.* Sub genere justi, continetur, quidquid est: *legitimum, pium, religiosum, legibus Divinis, humanisque statutum, semper servatum, bene & recte consultum, Naturæ conforme, consvetudine firmatum, gentium sententia & opinione probatum.* Sit propositio. *Fœdus initum servandum esse.* Dices. Fidem fœderis servare esse æquum, religiosum, Gentium sententiâ, opinione & consensu ratum. *&c.*

Idem de aliis dicendum, verum à quocunque ex his rationem ſumpſeris; tota mente connitendum erit; ut ſi *á juſto* cauſam ducas, quam optimè *rei juſtitiam* explices; ſi *à facili*, quàm maxime *facilitatem*, ſi *à neceſſario*, quàm ſolidiſſimè *neceſſitatem* oſtendas, & prout par eſt, exaggeres.

Modus tractandi hujus loci? Hoc argumenti genus, adhiberi frequentius in exordiis ſolet; hic enim Orator præmittit quædam generatim & univerſe, quæ rationem Theſis habent, unde deſcendit ad ſpeciem ſive Hypotheſim. Ita Demoſthenes laudaturus eorum prudentiam ac fortitudinem, qui pro Patria ceciderant, duo præmittit virtutis, in genere principia: prudentiam ſcilicet, & fortitudinem, quarum altera quid ſit agendum præſcribit, altera exequitur.

Habes in Cicerone exemplum argumenti à genere petiti in oratione pro Sextio, ubi adhortans Judices, ne Clodii potentiam metuant, præmittit primo quædam in genere de Magiſtratu; *Sudandum eſt iis qui Magiſtratum gerunt pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpe pro Republica tempeſtates, cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum*. Deinde deſcendit ad ſpeciem, ſive Judices, qui ſub genere Magiſtratûs continentur: *Quid igitur? Vos ne Regia, imo etiam Divina Auctoritate muniti; inſolentis hujus hominis quamvis potentis, vim non frænatis? altos non compeſcitis ſpiritus? &c.*

Aliud hujus loci pulcherrimum exemplum invenies in Oratione pro Archia Poeta

Nro

Nro 19 ubi Cicero cum laudandum Archiam suscepisset, *quod est hypothesis*, rem ad thesim revocat, hoc est: Pòësim & Studia humanitatis, generatim & universe laudat. *Sit igitur Sanctum apud vos humanissimos homines hoc Pòëtæ nomen &c.*

Cavendum hic est Eloquentiæ candidato ne in genere diutius immoretur; puerile enim omnino est hærere longius in thesi, quàm in hypothesi.

Species est res aliqua particularis, quæ sub Genere, continetur. Sic Cicero ex speciebus libidinis, cupiditatis, avaritiæ, infert generatim; per leges omnia flagitia comprimi. *Docemur* (inquit Lib: I. de Legib:) *authoritate nutuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis, mentes, oculos, manus abstinere.* *Quid est species?*

Hoc argumenti genere probare poteris, hominem aliquem, esse illustrem virtute, scientià, vel optimè muneribus Reipublicæ functum, vel è contra, hominem flagitiosum. Si enumeres species sub genere virtutis, scientiæ, & munerum Reipublicæ contentas. *Modus tractandi hujus loci?*

§. V.

Similitudo & Dissimilitudo.

Similitudo est rerum ceteroqui disparium in aliqua ratione collatio & convenientia. v. g. Hydrops & avarus, res inter se longe diversissimæ, in eo conveniunt, quod neuter satiari possit, Item Consul & Guberna- *Quid similitudo?*

nator navis, in ratione gubernandi secum conveniunt. Ut enim hic navim, sic ille Rempublicam regit. Sic etiam umbra & gloria sunt res diversissimæ, in hoc tamen conveniunt, quod umbra corpus, gloria virtutem comitetur. Unde ait Cicero: *Gloria est umbra virtutis.*

Modus tractandi hujus loci? Argumentum à loco hoc, qui magis ornat, quàm probat orationem, ducere poteris, quærendo, quænam res sit similis cujusdam naturæ, cum ea, quam explicandam sumis. *Sit argumentum:* Ingenium ne sterilescat, excolendum est: Similitudinem duces ab agro, dicesque cum Cicerone 2. Tuscul. *Ut ager, quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus.*

Similiter si probare velis; malos, ne noceant aliis, è Republica expellendos esse: sumes similitudinem à membro corporis infecto; Dicesque cum Cicerone Philip: 8. *Ut in corpore, si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membrorum aliquid potius, quàm totum corpus intereat: Sic in Reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum, amputetur &c.*

Quid dissimilitudo? Dissimilitudo, est oratio, quæ ex re dissimili, dissimile aliquid colligit. Ut cum ait Cicero. *Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.*

Sit etiam: Sol occidit reditque; Vita cum occiderit, redibit nunquam.

Hic

Hic locus tractatur eodem modo ac præcedens, nisi quod Similitudo per affirmationem procedat, Dissimilitudo vero per negationem. *Modus tractandi hujus loci?*

Observa. Conglobatæ similitudines, vel dissimilitudines, plurimum ornant Orationem, & vehementer movent. Sic eleganter Cicero pro Muræna Nro 22. Sulpitium Juris-Consultum Imperatori dissimilem probat, ex dissimili utriusque studio: *Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille, ut quo intendit, mature cum exercitu perveniat, Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat; Tu actionem instituis, ille aciem instruit, Tu caves ne tui Consultores; ille ne urbes aut castra capiantur, ille exercitatus est in propagandis finibus, Tu in regendis &c.*

Ad eundem modum; si v. g. bellum civile dissvadere velis; dices: Elementa secum „ ipsis non pugnant, neque se ipsa conficiunt; aqua ignem, non ignis conficit ignem; „ nulla species rerum animantium se ipsam „ ad internecionem delere quærit; non Leonum, non Ursorum, non Luporum, castra castris opponuntur. Sola infelix hominum species, mutuam sui destructionem molitur, sola cohortes, legiones, „ copias, arma, castra reperit ad inferendum sibi invicem interitum; nec satis est „ gentes in gentes irruere, etiam in una „ Gente, Provincia, Civitate, furor insanus „ sitiensque sanguinis, fraternas in se armat, „ vertitque manus.

§. VI.

§. VI.

Contraria & repugnantia.

Quid contraria? Contraria ſunt ea, quæ in eodem ſubjecto eſſe non poſſunt, vel ſi fuerint in eodem, neceſſario inter ſe pugnant. Ut frigus & calor in eodem loco, ſanitas & morbus in eodem corpore.

Quot contrariorum genera? Contrariorum genera, quatuor omnino numerantur. Nimirum: Adverſa, Relata, Privantia, & Contradicentia.

Quid adverſa? Adverſa ſunt ea, quæ ſub eodem genere poſita ſe mutuo ab eodem ſubjecto expellunt. Ut *virtus & vitium; bellum & pax, ſapientia, & ſtultitia*. Ab Adverſis. ſic argumentari poteris cum Cicerone. *Si ſtultitiam fugimus, ſapientiam ſequamur, & bonitatem, ſi malitiam*. Ita etiam Quintilianus. *Malorum cauſa bellum eſt? erit emendatio pax*.

Quid relata? Relata ſunt, quæ ſe invicem ita reſpectant, ut alterum ſine altero intelligi non poſſit. Ut Pater & filius, Dux & miles, Magiſter & diſcipulus, Qui dat & qui accipit; Ex hoc genere Cæſarem laudat Cicero in Oratione pro Marcello Nro 3. *Ex quo profecto intelligi debet, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria.*

Quid privantia? Privantia, ſunt ea, quorum alterum eſt habitus, ſeu res ipſa habita; alterum privatio ejuſdem rei; ejuſmodi ſunt: Vita & mors, lux & tenebræ, ſcientia & inſcitia. Ex hoc loco ita argumentatur Cicero. Catilinaria 1. Nro 20. *Ejus igitur mortis ſedetis ulto-*

res,

res, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis, & de ejus nece lata quæstio est, qui, si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.

Contradicentia sunt ea, quorum alterum id negat quod alterum affirmat; ut Milo insidiatus est Clodio, Milo non est insidiatus Clodio. Habes hujus loci exemplum in Cicerone. Pro Milone Nro 2. *Nam illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, afferunt tamen Oratori horroris aliquid, ut in foro & in judicio, quanquam præsidiis salutaribus & necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem, sine aliquo timore possimus.* *Quid contradicentia?*

Quocunque ex dictis, nomine veniunt contraria; tribus potissimum modis tractari solent: *Modus tractandi hujus loci?*

1mo Cum verba verbis opponuntur: Exemplum habes apud Ciceronem Catil: 2. Nro 25. *Ex hac parte pugnat pudor; illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum v tiis omnibus &c.*

2do. Cum membra membris opponuntur. Ut Cicero Verrina 5. à Nro 2. ad 7. *Nam qui hoc sibi sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit. . . . Furem aliquem ac rapacem accusabis? vitanda tibi semper erit omnis a-*

varitiæ ſuſpicio; Maleficum quempiam adduxeris aut crudelem? cavendum erit ſemper ne qua in re aſperior, qui inhumanior fuiſſe videare. Corruptorem, adulterum? Providendum diligenter, ne quod in vita veſtigium libidinis appareat. Omnia poſtremo, quæ vindicâris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. Etenim non modò accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit; in eo ipſo deprehenditur.... &c.

Simile pulcherimumque exemplum invenies Oratione pro Cælio Nro 12 *Neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto* (de Catilina loquitur) *tam ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis, cupiditatibuſque conflatum.....*

3tio. Cum periodis periodi opponuntur. Sic Cicero Oratione pro Manilia Nro 11. *Majores Veſtri ſæpe Mercatoribus & Naviculatoribus injurioſius tractatis, bella geſſerunt; Vos tot Civium Rom: millibus, uno nuncio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?..... Illi Civium Romanorum libertatem imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum, illi perſecuti ſunt: vos legatum Populi Romani omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Videte ergo, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis gloriam relinquere; ſic vobis turpiſſimum ſit; illud, quod accepiſtis, tueri ac conſervare non poſſe &c.*

§. VII.

§. VII.

Adjuncta.

Adjuncta sunt ea, quæ cum re, de qua agitur, non necessario, sed probabiliter conjuncta sunt. Ut sunt *tituli hominum, insignia, arma, &c.* sine quibus homo esse potest. *Quid adjuncta?*

Adjunctorum genera, tria vulgo numerantur: *1mo* Adjuncta rei, ut *locus, tempus* &c. *2do* Adjuncta animi, ut *vitia, virtutes*. *3tio* Adjuncta corporis, ut *pulchritudo, deformitas, robur, vestis, habitus*. Uno verbo, omnia quæ rem quocunque modo circumstant, sive præcedunt, sive comitentur, sive consequantur, appellantur adjuncta; tritoque illo versiculo comprehenduntur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?* *Quot adjunctorum genera?*

Personam designat, ad quam revocantur: nomen, genus, stemma, conditio, ætas, fama, bona animi, ut virtutes, artes, scientiæ, ingenium, indoles; bona corporis, ut forma, figura, pulchritudo, valetudo, robur. item mala animi & corporis: ut vitia, deformitas, &c. *Quis?*

Designat rem, de qua in oratione agitur, estque id ipsum, quod orator narrat, laudat, vituperat, gratulatur, gratias refert, accusat, defendit, suadet, vel dissuadet. *Quid?*

Designat locum, qui est: Sacer, profanus, privatus, publicus, saluber, pestilens, asper, planus, domi aut foris, in urbe aut rure, peregre, vel in Patria, in via publica, in platea, in Schola, Palæstra, ergastulo, terra, mari, aere &c. *Ubi?*

Quibus auxiliis? Designat auxilia personæ, vel rei; ministros, comites, famulos, amicos, hostes, instrumenta quoque, ut ensem, clypeum, tormenta bellica, hastam, loricam securim, malleum, calamum &c. quibus homines tanquam adminiculis & instrumentis ad agendum utuntur.

Cur? Designat causas, quæ in re, de qua agitur, occurrunt v. g. an amicitia, malignitate, amore, vindicta, odio, commiseratione, voluntate propria, an suasu vel jussu, justis vel injustis rationibus, vi muneris & officii, nec ne? factum aliquid vel faciendum sit.

Quomodo? Designat modos, quibus res agitur Ut decenter, indecore, piè, impiè, sobriè, ebriè, deliberatè, casu, palam, secretò, sincerè, astutè, joco, serio, juxta vel extra ordinem.

Quando? Designat tempus; ut sæculum, annum, mensem, diem, horam, diluculo, mane, meridie, vespere, nocte, æstate, hyeme, vere, autumno, in juventute, virili ætate, senectute, belli, pacis tempore; Consule, Principe hoc vel illo; tempore præterito, præsenti, futuro, longo, brevi; nunquam, semper, sæpius, raro, nunc, primum? &c

Modus tractandi hujus loci? Adjuncta citato superius versiculo, & singillatim explicato comprehensa, uberrimam cogitationum, rationum, & amplificationum materiam suppeditant; quorum in omnibus Ciceronis Orationibus, præsertim narrationibus, copia ingens in promptu est. Ineptum tamen & puerile omnino esset, velle studio, & ubivis, ab his omnibus rationes eruere; sed ea duntaxat deligenda sunt, quæ ad rem propius faciunt. Vide quam egregie à solis

dun-

duntaxat adjunctis loci, Hannibal Italiam ingressus milites suos ad pugnam adhortetur. Livii libro 21.

Dextra levaque duo maria claudunt. Nullam, ne ad effugium quidem navem habemus. Circa Padus amnis major ac violentior Rhodano, à tergo Alpes urgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitæ, hic vobis vincendum, aut moriendum Milites est ..... Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicaverimus. Illis timidis & ignavis licet esse, qui receptum habent, quos ager suus, quos sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. Vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemque certa desperatione abruptis, aut si fortuna dubitabit, in prælio potius, quàm in fuga mortem oppetere. Si hoc bene, fixum omnibus destinatumque in animo est; iterum dicam vicistis. &c.

Habes etiam illustre Adjunctorum exemplum in toto exordio Ciceronis pro Milone, ubi ab Adjunctis, Quis? cur? ubi? quibus auxiliis seu personæ, loci, militum causisque ob quas miles locatus sit; initium orationis sumpsit.

Aliud in eadem Oratione Nro 54. *Si hæc non gesta audiretis sed picta &c.*

§. VIII.

Antecedentia Consequentia.

Antecedentia sunt, ea, quibus positis, necesse est alia consequi: ut Ortus est sol, ergo dies est; Natus es homo, ergo procul dubio morieris. *Quid Antecedentia?*

Con-

Quid Consequentia? Consequentia sunt ea, quæ rem necessario consequuntur. Ut pœna sequitur culpam.

Observa. Hic non intelligi necessitatem omnino physicam, qualis inter causam & effectum intercedit; sed necessitatem etiam probabiliter tantum cum re conjunctam. v g. Flores protulit hæc arbor, ergo & fructus feret.

Modus tractandi hujus loci? Tyronem ad facilius ex hoc loco eruendas rationes, sequentes quæstiones summopere juvabunt: Quid est, quod rem (de qua tractaturus est) antecessit? quid prius vel olim observatum fuit; qui mos, quæ consvetudo, quæ opinio, sententia, hac de re antea præcessit; quid tale præteritis temporibus fuit. &c. Sic, quidquid ab antiquis moribus, usibus, exemplis, præjudicatis, à majorum laudibus & gloriose factis, sumitur; ab antecedentibus probari dicitur.

Ita Cicero Oratione pro Sextio, Gubernatores Reipublicæ, & inter hos Scaurum ad constanter defendendam Rempublicam, spreto cujuscunque periculi metu, adhortatur: *Propugnatores Reipublicæ qui esse voluerunt, omnia Reipublicæ causâ perferunt; qui sunt tales, qualis Pater tuus M. Scaure fuit, qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem nulla unquam vis, nullæ minæ, nulla invidia labefecit. Aut qualis Quintus Metellus Patruus Matris tuæ, qui de Civitate maluit, quam de sententia dimoveri..... Aut qualis nuper Q. Catullus, quem nec periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimovere. Hæc imitamini, qui dignitatem*

tem, qui laudem, qui gloriam quæritis; hæc ampla ſunt, hæc Divina, hæc immortalia; hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, poſteritati propagantur &c.

Similiter ad eliciendas à conſequentibus rationes quærendum eſt Tyronibus? Quid ex hac re quam tractandam ſuſcipiunt, vel poſt hanc rem futurum eſt? quid ſequi poteſt? quid prævideri, quid expectare oporteat? Et ſane nemo ſolidius ratiocinatur, quam qui ex re, quam ſuadet vel diſſuadet, quæ conſequentia manare poſſunt; oſtendit; ejuſmodi enim argumenta in ſummi momenti propoſitionibus ac conſiliis plurimum valent.

Habes egregium exemplum à conſequentibus in Oratione Pro Marco Marcello. Cæſar dixerat ſe ſatis naturæ, ſatis gloriæ vixiſſe. Cicero monet Cæſarem, ne putet ſe ſatis Patriæ vixiſſe, curetque ordinare ac conſtituere Rempublicam, oſtenditque ſecuturam inde Reipublicæ pacem, Cæſari vero gloriam immortalem, præclara de eo poſterorum judicia &c. *Nec vero hæc tua vita ducenda eſt, quæ corpore & Spiritu continetur; Illa inquam, illa vita tua eſt, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur. Huic te oſtentes oportet, quæ quidem, quæ miretur jam pridem multa habet, nunc etiam, quæ laudet, expectat. Obſtupeſcent poſteri certe: Imperia, Provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos; ſed niſi hæc Urbs ſtabilita tuis conſiliis & inſti-*

institutis erit: vagabitur modo nomen tuum longe atque late, ſedem quidem ſtabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit magna diſſenſio, cum alii laudibus ad Cælum res tuas geſtas efferent, alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum; niſi belli Civilis incendium ſalute Patriæ reſtrinxeris; ut illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilii. Servi igitur iis etiam Judicibus, qui multis poſt ſæculis de te judicabunt, & quidem haud ſcio, an incorruptius, quam nos, nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine invidia judicabunt. &c. Quod illuſtrius conſequentium exemplum?

§. IX.

Cauſæ.

Quid cauſa? Cauſa eſt, vi cujus aliquid fit. Ut vulnus eſt cauſa mortis, quia vi ſua mortem parit.

Quotuplex cauſa? Cauſa quadruplex numeratur à Philoſophis; ſcilicet: *Efficiens, materialis, formalis, & finalis.*

Quid efficiens? Cauſa efficiens eſt, à qua aliquid fit, ut DEUS, à quo mundus, ſol, à quo dies; Artifex, à quo artefactum fit. &c

Quid materialis? Cauſa materialis eſt, ex qua aliquid fit. Ut Marmor, ex quo ſtatua, aurum, ex quo nummi, Uvæ, ex quibus fit vinum &c.

Quid formalis? Cauſa formalis eſt, ratio quædam & forma, per quam res aliqua in ſua natura ita conſtituitur, ut per eandem à cæteris diſtingvatur; ſic anima eſt forma hominis, quia ho-

homo per animam fit rationalis, per rationem autem à cæteris animantibus distingvitur.

Observa. Forma alia est naturalis & interna, alia artificialis & externa; per primam res una ab altera distinguitur interne; ut *Adamas non est silex, est igitur interna forma alia Adamantis, alia Silicis.* Per alteram res una ab alia distinguitur externe; ut ex uno eodemque Marmore Statua Viri & fœminæ, ex uno eodemque Auro Calix & patena, ex iisdem coloribus pulchra & difformis imago. *&c.*

Quid finalis? Causa finalis est, propter quam aliquid fit. Ita Beata in Cælis vita, est causa finalis hominis, quia agit omnia ut eam acquirat. Victoria, causa finalis belli *&c.*

Modus tractandi hujus loci? Nulla omnino propositio est, quæ non ex hoc loco probari, copiosissimeque amplificari possit; cum nihil omnino universis in rebus sit, quod non suas habeat causas; præter Ipsum Deum, quæ est prima omnium efficiens causa, Ipse à nullo principium ducens. Jam præter Deum, aliæ causæ efficientes investigandæ sunt. Unde nimirum aliquid oritur? unde pullulat? unde venit? unde principium & originem derivat? Neque enim ad omnem Philosophiæ rigorem Oratori causa efficiens sumenda est, sed sufficit, quod aliquid occasio aut causa movens sit, ut ab ea, suam propositionem probare tanquam à causa efficiente possit. Sic Cicero probat veram amicitiam inter probos duntaxat viros reperiri, (ait enim in Lelio) *Virtus, virtus inquam & conciliat amicitias, & conservat; in* *à causa efficiente?*

ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia. Virtus cum se extulit, & ostendit lumen suum, & idem aspexit agnovitque in alio, ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit, sive mutuus amor, sive amicitia.

Similiter si v. g. probare velis: *Munera judici non esse acceptanda.* Quære unde proveniunt? Ab illo scilicet, qui vel de causæ suæ justitia dubitat; vel qui male indigneque opinatur de integritate judicis Item si probare velis. *Malis exemplis moveri nos non oportere* Quare? Quia proveniunt ab hominibus temerariis, levibus, impiis. Eodem modo probares cum Cicerone intemperantiam esse vitandam. *Intemperantia effœtum corpus tradit senectuti, ergo diligenter vitanda est.* Talibus & aliis id genus exemplis doceantur Tyrones, non esse rem adeo ut putant difficilem à Causa efficiente argumenta eruere.

Verum & à causa finali, non difficilior neque minor rationum copia eruitur; quid enim facilius quam à fine, propter quem aliquid fit, vel propter quem aliquid suadetur vel dissuadetur, momenta & rationes adducere. Sit Propositio: *Leges improbe injusteque interpretandas non esse.* Quære, quis finis legum? non injustitia certe, sed justitia; quæ est fundamentum boni publici. Unde dices cum Cicerone: *A majoribus* (inquit Cicero in Vatin:) *nostris, nulla alia causa leges inventæ sunt, nisi ut suos Cives incolumes conservarent.* Idem Libr: 2do de Legib:

à Causa finali?

Ad

Ad salutem Civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum & quietam & beatam, conditæ sunt leges.

Ita idem Cicero Oratione pro Milone Nro 32. à Causa finali probat Clodium struxisse insidias Miloni, quia spes emolumenti Clodium respiciebat, non Milonem. *Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium &c.*

à Causa Materiali & formali externa?

Locus à causa Materiali & formali externa potissimum obtinet, in laudationibus Urbium, Templorum, Palatiorum, Ædium, Hortorum, rerum arte effectarum, item Artium, scientiarum &c. Exempla causæ Materialis habes Verrina 6ta. Nro 64. Ubi Cicero exaggerat furtum Verris à Materia Candelabrorum, quæ rapuerat, quod nimirum gemmis & Auro constabant. *Candelabrum è gemmis clarissimis opere mirabili perfectum &c.*

à Causa formali interna?

Jam vero à causa formali interna; Sic differere poteris cum Cicerone. Excellens est animi natura, ergo voluptatibus servire non debet. *Si considerare velimus, quæ sit in hominis natura excellentia & dignitas, intelligemus quam sit turpe diffluere mollitie, & delicate ac molliter vivere, quamque honestum sit, parce, continenter, sobrie. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur & ad vires, non ad voluptatem &c.* Libr: 1mo Officiorum Nro 106.

§. X.

Effecta.

Quid sunt effecta?

Effecta seu effectus, sunt ea, quæ oriuntur ex causis; unde sequitur, tam multa ea

esse,

esse, tamque varia, quàm variæ multæque sunt causæ, imo quia effecta suis causis plerumque notiora sunt, ideo multo frequentior apud Oratores est eorum usus.

Modus tractandi hujus loci? Locus hic plurimum valet in genere demonstrativo, nihil enim tam proprie in quopiam laudatur, vel vituperatur, quam propria ipsius, facta merita, res gestæ. Laudaturus itaque quempiam; Considera: Quidnam ille erga Religionem. erga Patriam, erga Principem, Senatum, Cives, exercitum, quid toga, quid sago, quid in tribunalibus commissisque negotiis, quid erga familiam, quid erga amicos, clientes, *&c.* fecerit. Quibus ornatus sit virtutibus, scientiis, artibus? quid sapienter dixit, scripsit, consuluit; aggressus est, perfecit? hæc enim omnia, tanquam proprii cujusvis personæ considerantur effectus. Similiter in omni re alia, quam in propositione probandam assumis, cogita, quid res hæc efficit? quid ex ea effluit, quem ex se fructum, quæve damna indubitanter adfert, qui actus sint hujus rei, hujus virtutis, hujus vitii? quidve ex iis proveniat? *&c.* Sic Cicero laudat ab effectis Cæsarem pro Marco Marcello: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent habebant; nulla est enim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium, nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo ex-*

extollere jacentem, sed etiam amplificare pristinam ejus dignitatem: hæc qui facit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Diis judico.

Idem Cicero ut excitet voluptatis odium, & ab ea deterreat; exhibet perniciosos ejusdem effectus Libro de Senectute Nro 40. & 41. *Hinc Patriæ proditiones, hinc Rerum publicarum eversiones, hinc clandestina cum hostibus consilia; nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. ... Cumque homini sive natura, sive quis DEUS nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono, nihil tam esse inimicum, quam voluptatem; nec enim dominante libidine temperantiæ locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere....*

Ita pariter Eloquentiæ dignitatem, utilitatem ac jucunditatem ab effectis commendat Libr: 1. de Oratore Nro 30, 31, 32.

§. XI.

Comparatio.

Comparatio est oratio, qua duo vel plura, in tertio aliquo, quod illis commune est, conferuntur. Ut: *Catoni licuit sequi bellum Civile, igitur & Ciceroni licebit.* *Quid comparatio?*

Commune est enim ambobus sequi bellum civile.

Res, inter quas instituitur comparatio, vel majores sunt, hoc est veri similiores, quibus scilicet id, de quo agitur, potiori ju- *Modus tractandi hujus loci?*

re

re conveniat; vel minores, ideſt minus veri ſimiles, quibus non æque res aliqua conveniat, ac convenit ei, cum qua conferuntur; vel æquales in gradu veritatis. Hinc triplex eſt comparationis genus. Nempe: à majori ad minus, à minori ad majus; à pari ad par.

Quomodo fit comparatio à majori ad minus. Comparatio à Majori ad minus fit, quando minus probabile, concluditur ex magis probabili. Sic dicit Terentius: *Quem feret, ſi parentem non fert ſuum.* Sic Cicero: *Quid faceres domi tuæ, cum alienæ tam ſis inſolens.*

Idem Divinatione in Verrem Nro 40 ita diſputat contra Cæcilium: *Quodſi ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem aſsequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quàm longe tu te ab iis rebus abeſse arbitrare, quas non modò antea non cogitaſti, ſed ne quidem, cùm in eas ingrederis, quæ, & quantæ ſint ſuſpicare potes?*

Quomodo à minori ad majus? Comparatio à minori ad majus fit, quando magis probabile, ex minus probabili concluditur. Sic Cicero pro Lege Manilia Nro 11. Populum Romanum hortatur ad tuendam Jmperii dignitatem: *Majores noſtri ſæpe mercatoribus ac naviculatoribus injurioſius tractatis, bella geſserunt, vos tot Civium Rom: millibus, uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſse debetis? Legati, quod erant appellati ſuperbius, Corinthum Patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſse voluerunt; vos eum Regem inultum eſse patiemini; qui legatum Populi Rom: Conſularem vinculis ac verberibus, atque*

omni supplicio excruciatum necavit? Illi Civium Romanorum libertatem imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? ..... Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud quod accepistis, tueri, ac conservare non posse.

Habes Similia argumenta petita à minori ad majus Pro Cæcinna Nro 45. pro Plancio Nro 26. pro Milone Nro 80. In Pisonem Nro 18.

Comparatio à pari fit; quando pariter probabile, ex pariter probabili colligitur. Ita Cicero pro Roscio Amerino Nro 50. probat; non esse probro vertendum Roscio quod subigendæ terræ operam dederit, quia id multi alii opibus & dignitate præstantes fecerint: *Ne tu Etrusci accusator ridiculus esses, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro arcessebantur, qui Consules fierent. Etenim qui præesse agro flagitium putes, profecto illum Attilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum judicares. At hercule! Majores nostri longe aliter & de illo, & de cæteris talibus viris judicabant: suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant. &c.* *Quomodo à pari?*

Similia à pari exempla vide pro Murena Nro 31. Philippica 5. Nro 25. Catilinaria 1. Nro 17.

Observa: Locum hunc sæpissime cum aliis convenire, uti cum antecedentibus, cum effectis; cum exemplis. *&c.* Quomodocunque tamen rationes ab eo ducantur, ad rem cer-

te probandam ſunt ſolidiſſimæ; nihilque fere homini naturalius ac promptius, quàm ad comparationes recurrere, quas ut facilius inſtituas, ex te ipſo quære: Quod nam aliud huic, de quo tractas, majus, minus, æquale? quod huic ſimile? in quo eadem virtus? idem vitium? quid in hiſtoria, vel memoria hominum tale? cum quo res hæc, actio hæc, perſona hæc comparari poſſet? ſi res hæc ibi hunc produxit effectum; cur hic non eundem producat? *&c.* Si tamen comparatio inter homines inſtituenda ſit, cave ne pueriliter, aut nimium uni tribuas, aut demas alteri.

CAPUT II.

DE LOCIS EXTRINSECIS, SEU REMOTIS.

Quid ſunt Loci extrinſeci ſeu remoti?

Loci extrinſeci ſeu remoti ſunt, qui aliunde, quàm ex natura rei, de qua quæſtio eſt, petuntur, neque pendent ab arte ut excogitentur, ſed ut tractentur. Horum locorum in genere judiciali præcipuus eſt uſus.

Quot ſunt?

Sex aſſignantur à Quintiliano: Leges ſeu præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Teſtes.

§. I.

Leges ſeu præjudicia.

Quid ſunt Leges ſeu præjudicia?

Præjudicia conſtant legibus, ex quibus pares aliquando cauſæ ſunt judicatæ. Ut Cicero pro Roscio Amerino Nro 64. *Terracinenſes ſine magnis & probatis cauſis de*

par-

parricidio judicare noluerunt; ergo nec Romani debent judicare.

A legibus five præjudiciis aut confirmatur fententia, aut refutatur; Si confirmanda eft fententia: probandum eft *1mo.* Leges ac præjudicia effe vincula Reipublicæ, Regnorum fundamenta, juftitiæ nervos, libertatis afylum; *2do* Commendandi funt illi, à quibus latæ funt leges. *3tio* Recenfenda funt damna, quæ confequentur fi leges impune violentur; *4to* Juvabit interdum afferre ipfa legis verba.

Modus tractandi hujus loci? Quomodo confirmatur fententia à lege?

Sic Cicero pro Cluentio Nro 146. à neceffitate & dignitate legum difcurrit: *Ut tibi concedam hoc indignum effe, quod cujusmodi fit, jam videro, tu mihi concedas neceffe eft, multò effe indignius in ea Civitate, quæ legibus continetur, difcedi à legibus. Hoc enim vinculum eft hujus dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens, & animus, & confilium, & fententia civitatis pofita eft in legibus. Ut corpora noftra fine mente, fic Civitas fine lege fuis partibus ut nervis, ac fanguine & membris uti non poteft. Legum Miniftri, Magiftratus, Legum interpretes judices, Legum denique idcirco omnes fervi fumus, ut liberi effe poffimus.*

Si refutanda eft fententia à lege: Probandum eft: vel antiquatam effe legem & amplius non valere; vel lex legi opponenda, vel demonftranda neceffitas agendi contra legem.

Quomodo refutatur fententia à lege?

Ita Cicero pro Rabirio Nro 13. eludit legem, oftendendo eam non effe amplius in

 ufu:

uſu: *Tunc mihi etiam legis Porciæ mentionem facies . . . . . Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito . . Quæ verba Quirites jam pridem non ſolùm tenebris vetuſtatis in hac Republica, verum etiam luce libertatis oppreſſa ſunt.*

Et pro Milone Nro 10. Legem ſcriptam per legem naturalem deſtruit; neceſſitatemque contra eam agendi oſtendit: *Eſt enim judices non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus, ut ſi noſtra vita in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela, aut latronum aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expedienda ſalutis Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quàm juſta repetenda.*

Similia exempla invenies pro Domo ſua Nro 43, 47, & 53.

§. II.

Fama.

Quid eſt fama? Fama eſt ſermo multitudinis, habens authoritatem, niſi malitia, vel nimia crudelitas irrepſerit.

Modus tractandi hujus loci? Si tibi cauſæque tuæ faveat fama; dices magnam eſſe vim atque authoritatem famæ, cui optimus quiſque tam impenſe ſtudet. Probabis famam vix unquam decipi, eſt enim velut omnium hominum teſtimonium. Quæres rationes, per quas ſparſæ famæ veritas confirmetur:

Quomodo confirma-

Exem-

Exemplum ex hoc loco petitum invenies in Panegyrico Trajani; Plinii junioris: *Cæsar tales nos crede, qualis fama cujusque est, huic aures, huic oculos intende, ne respicias clandestinas existimationes, melius omnibus, quàm singulis creditur; singuli enim decipere & decipi possunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.*

tur sententia à fama?

Contra vero; si tibi causæque tuæ fama adversetur, illam refutabis ostendendo famæ levitatem & inconstantiam, quæ sæpe viris integerrimis maculas asperserit; Demonstrando rumores ejusmodi esse opus hominum otiosorum, qui amant falsa in vulgus spargere. Asserendo rationes, quibus famæ falsitas demonstretur.

Quomodo refutatur sententia à fama?

Sic Cicero pro Plancio Nro 56. rogat Judices ne disseminatis rumoribus fidem habeant: *Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, cum hujus, quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis..... Nihil est tam volucre, quàm maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.*

Similia exempla invenies pro Cælio Nro 38. Pro Milone Nro 46.

§ III.

Tabulæ.

Nomine tabularum intelliguntur omnia testimonia scripto exarata, quibus pacta conventa, contractus, testamenta, vel quidvis aliud ejusdem generis continetur.

Quid sunt tabulæ?

Modus tractandi hujus loci, Quomodo confirmatur sententia à tabulis?

Sententiam à tabulis confirmabis *1mo* per Comparationem; conferendo testimonium scriptum cum fama, cæterisque testibus, & quærendo rationes, quibus probetur, plus habere roboris & authoritatis testimonium scriptum, quam aliud quodlibet. *2do* Per frequentationem consequentium ostendendo, non posse violari testimonium scriptum, & relatum in tabulas publicas, quin hæreat æterna labes ipsis tabulis publicis impressa, adeoque nullum fore jus, quod non possit infringi; si enim violator tabularum fuerit ignobilis; nemo erit deinceps, qui se id impune facturum non speret; si autem nobilis, ostendetur pessimum apud posteros exemplum fore, si scelus impunitum relinquatur. *3tio* Per negationem exaggerari potest vis & authoritas tabularum, ad exemplum Ciceronis pro Sextio Nro 10. *Non recito vobis Decretum officio aliquo expressum vicinitatis, aut clientelæ, aut hospitii publici, aut ambitionis, aut commendationis gratiâ; Sed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem amplissimi beneficii, vicem officii præsentis, testimonium præteriti temporis.*

Simile à tabulis exemplum habes Oratione pro Milone: *Quodsi duodecim tabulæ nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impune voluerunt; quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus.*

Eodem modo Cicero pro Archia Nro 9. commendat tabulas, quibus constabat Archiam domicilium Romæ habuisse.

Sentientiam à tabulis refutabis *1mo.* Quærendo aliquod testimonium scriptum, quod tabulis opponatur, & ejus authoritatem amplificando. *2do* Ostendendo eas, non esse integras, aut incorruptas, talibus enim fides derogatur. Ita Cicero pro Cluentio Nro 91. corruptas tabulas esse contendit, propter quasdam lituras in ipsis deprehensas: *Quod Cajus Verres Prætor Urbanus homo sanctus ac diligens subscriptionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur.*

Quomodo refutatur sententia à tabulis?

§. IV.

Jusjurandum.

Jusjurandum est affirmatio vel negatio rei alicujus, Deo in Testem vocato, ritu religioso facta.

Quid est jusjurandum?

Sententiam tuam à jurejurando confirmabis, *1mo* Demonstrando, quàm inviolabile debeat esse promissum, quo Deo quis obstringitur; nefas enim est pacta cum homine violare, quantò magis cum Deo. *2do* Recensendo pænas, quæ jurisjurandi violatores sequi solent; experiuntur enim homines in se plerumque perfidos, qui Deo perfidi extiterunt, jam vero semper sceleris conscientiâ cruciantur. *3tio* Demonstrando magnam jurantis vel authoritatem, vel probitatem.

Modus tractandi hujus loci?

Quomodo confirmatur sententia à jurejurando?

Exemplum hujus loci habes in Cicerone Libr: 3. de Officiis Nro 111. *Nullum vinculum ad astringendam fidem jurejurando Majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste de-*

vincitur fides; indicant notationes animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.

Eo loci pluribus confirmat Cicero: neminem, fidem vel hosti datam, & juramento firmatam, posse frangere.

Quomodo refutatur sententia à jurejurando? Sententiam à jurejurando refutabis. *1mo.* Demonstrando aliquod jusjurandum opponi legibus vel juri scripto, vel naturali; *2do* Ostendendo id, quod juratum est, iniquum esse. *3tio.* Probando id, de quo agitur non contineri expressè in jurejurando, nec fuisse hanc jurantis mentem *4to* Demonstrando juramentum aut ex imprudentia emissum, aut metu extortum; *5to* Convincendo Jurantem admissi aliquando perjurii. Ita Cicero pro Comædo Nro 46. *Qui mentiri solet, pejerare consuevit; nam qui semel à veritate deflexit; is non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium perduci consuevit.*

Similiter pro Rabirio Posthumo: *Ubi semel quis pejeraverit; ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportet.*

Similiter disserit Salvianus Libr: 4. *Plures invenias qui sæpius pejerent; quam qui omnino non jurent.*

Quid sunt tormenta sive Quæstio?

§. V.

Tormenta sive quæstio.

Tormenta sunt Cruciatus, vi quorum veritas à reis extorquetur.

Quomodo con- Dices *1mo.* Antiquissimam hanc esse veritatis eliciendæ rationem, & à sapientissimis

mis majoribus usurpatam. 2do Vix aliam esse in tanta nostrorum temporum dissimulatione, veritatis extorquendæ viam. 3tio Poteris argumentari a minori ad majus: Si metus quæstionis sæpe veritatem exprimit; quanto magis ipsa quæstio.

firmandus hic locus?

Cicero de quæstione ita loquitur in Topicis Nro 74. *Facit necessitas fidem, quæ cum à corporibus, tum ab Animus nascitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere. Et quæ à perturbatione animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem & fidem.*

Dices periculosam esse fallacemque confessionem quæ tormentorum vi exprimitur, quandoquidem compertum est, bene multos innocentes vi tormentorum ac metu doloris ad falsa dicenda persæpe fuisse adactos; poterisque hoc loco usurpare sapientissimam illam Hugonis Grotii sententiam: *Mentietur qui ferre poterit, mentietur qui ferre non poterit.*

Quomodo infirmandus hic locus?

Confirmabis etiam ex Cicerone Libro Partitionum Nro 50. *Sæpe etiam quæstionibus resistendum est, quod & dolorem fugientes, multi in dolore ementiti persæpe sunt, morique maluerunt, falsum fatendo, quàm infitiando dolere. . . . alii autem, aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu mortis; vim tormentorum pertulerunt, alii ementiti sunt in eos, quos oderant.*

Aliud exemplum habes pro Silla Nro 78. *Quæstiones servorum ac tormenta nobis accusa-*

cusator minitatur, in quibus, quamquam nihil periculi suspicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque cum animi tum corporis, regit quæsitor, corrumpit spes, infirmat metus, ut tantis rerum angustiis, nihil veritati loci relinquatur.

§. VI.

Testes.

Quid sunt Testes?

Testes sunt, qui de re, quæ vocatur in controversiam voce vel scripto testimonium ferunt.

Modus tractandi hujus loci?

Sententiam à Testibus confirmabis si ostendas *1mo* Testes esse oculatos, *2do* esse juratos, *3tio* Esse viros probos, atque integerrimos, *4to* Esse illustres ac primarios *5to* Non spe, nec cupiditate ad ferendum testimonium inductos.

Quomodo confirmatur sententia à testibus?

Ita Cicero pro Comædo Nro 44. Commendat Testes: *Manilio & Lucio negas esse credendum? Dic, aude! Est tuæ arrogantiæ, contumaciæ, vitæque universa vox. Quid expectas? quam mox ego Lucium & Manilium dicam: Ordine esse senatores, ætate grandes natu, natura sanctos & religiosos, copiis rei familiaris locupletes & pecuniosos.*

Similia exempla invenies Divinatione in Verrem Nro 13. Pro Archia Poeta Nro 6. Verrina 7 Nro 156, & 165.

Quomodo refutatur senten-

Refutabis sententiam à Testibus; si dicas Testes esse homines vel infames, vel leves ac futiles, vel servos, domesticos, amicos, aut quomodocunque suspectos *2do* Si ostendas,

das, illos non ſecum ipſis cohærere, ſed pu- *tia à te-*
gnantia loqui. *3tio* Si graviores teſtes illis *ſtibus?*
opponas *4to* Si probes illos eſſe homines infimæ ſortis, atque egentiſſimos, qui facile ſubornari potuerunt.

Ita Cicero adverſus Flaccum teſtimonia confutat ab iis ipſis, qui ea tulerunt Nro 6. *At, à teſtibus læditur? antequam dico à quibus, qua ſpe, qua vi, qua re concitatis, qua levitate, qua egeſtate, qua audacia præditis; dicam de genere univerſo &c.*

Similia exempla leges. Pro Roſcio Amerino Nro 104. Pro Ligario Nro 16. Pro Murena Nro 58.

Nota. Veteres inter teſtimonia referebant etiam Oracula ſeu Deorum voces; Auſpicia ſeu auguria, quæ erant teſtimonia ex avium volatu, cantu, paſtuque. Vaticinationes, quæ erant reſponſa Vatum; Reſponſa denique Sacerdotum & Haruſpicum, qui vel interpretabantur ſomnia, vel ex exteriorum inſpectione, futura conjiciebant, unde etiam vocabantur Conjectores.

§. VII.

Uſus Locorum in genere.

Definitionis uſus eſt, non tantum ut obſcuræ rei adferatur notitia, aut involuta aliqua quæſtio explicetur, ſed etiam ad amplificationes & deſcriptiones; præſertim harum, quæ dantur per cauſas & effecta, per negationem & affirmationem.

Notatio nominis, ad vim & originem verborum aut ad alluſiones, & jocos adhibetur.

Enu-

Enumeratio partium. Ad totum explicatis partibus clare oculis ſubjiciendum & diſtribuendum & amplificandum ſervit.

Genus valet ad fuſe dicendum, avocando Orationem ab hypotheſi ad theſim. Magna enim eſt vis in natura generis bene expoſita.

Similitudo & diſſimilitudo. Lucem adfert rebus, ornatum argumentis, animis voluptatem.

Comparationis. Uſus aſſurgit per exempla ad magnos motus.

Repugnantium. Uſus eſt in amplificationibus ad refellendum & probandum; item per Antitheta ad ornatum Orationis, gratiam & varietatem; tum ut res una per contrarium melius eluceſcat.

Adjuncta. Late ac eleganter patent; Nam illa Animi & corporis, & fortunæ, ad laudandum & vituperandum; illa temporis & Loci, ad narrandum, probandum, confutandum, deſcribendum, vim habent magnam & ſplendorem.

Antecedentium & conſequentium, idem uſus præſertim ad ſvadendum & diſſvadendum.

Per Cauſas & Effecta amplificamus. Ac genus quidem deliberativum ex rerum bene vel male geſtarum cauſis conſtat; in Deliberativo & Judiciali per effecta & cauſas copioſe probamus, confutamus, deſcribimus.

Locis extrinſecis. Ut Præjudiciis utimur ad confirmandum & refellendum, ſi accedit autoritas, in aliis verò Ut: Fama, Tormentis, Tabulis, Jurejurando, Teſtibus, Perſona-

ſonarum probitas vel improbitas ſpectari & rerum circumſtantiæ expendi debent.

CAPUT III.

De secunda inventionis parte seu de motibus excitandis.

Oratoris munus ac partes ſunt, primum ut perſvadeat doceatque Audientium animos; deinde ut eoſdem moveat, inflammet, ac flectat. Diximus in prima hujuſce libri parte de argumentis ad docendum & ad fidem faciendam idoneis. Poſtulat nunc inſtituti noſtri ratio ut motuum ſive affectuum concitandorum (quæ inventionis pars præcipua eſt) fontes aperiamus, dicamusque, qua ratione faces ac ſtimuli ſint auditorum animis ſubjiciendi, quod in Oratore præcipuum eſt; cum plerumque homines magis affectu, quàm ratione ducantur; nec ſemper, quod approbant bonum ſequuntur. Sed antequam affectus omnes ſingillatim perſequamur; pauca quædam de illorum natura numeroque præmittimus.

Affectus eſt quidam animi impetus, quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum vel averſandum. *Quid eſt affectus?*

Sunt qui quatuor tantum ſtatuunt affectus; duos circa bonum, nempe: *ſpem & gaudium*, & duos circa malum ſcilicet *Triſtitiam & metum*. Philoſophi plerumque undecim aſſignant, quinque tribuunt appetitui iraſcibili; ſex appetitui concupiſcibili. Ap- *Quot ſunt affectus?*

pe-

petitus concupiſcibilis complectitur tres affectus circa bonum; ſcilicet: *Amorem, deſiderium, & gaudium*, tres circa malum; nempe *Odium, fugam, & triſtitiam*. Appetitus iraſcibilis continet duos affectus circa bonum, nempe *Spem & deſperationem*; & tres circa malum, *ſcilicet: iram, audaciam, & timorem*. De his ita dicemus, ut primo illorum definitionem afferamus, deinde quomodo ſint excitandi, quam accuratiſſime præcipiamus.

§. I.

De Amore.

Quid eſt amor? Amor eſt affectus, quo alicui bene volumus, eique bene facimus, non noſtra ſed illius cauſâ. Ex qua definitione patet, tres omnino eſſe germani amoris conditiones ſive dotes 1. ut ei quem amamus optemus bona. 2. Ut eadem illi pro virili parte procuremus. 3. Ut ita ſimus animati non propter propriam utilitatem, ſed illius cauſa quem diligimus. *Nam* ut ait Cicero: *ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum.*

Quomodo conciliatur amor? Amoris conciliandi cauſæ ac viæ præcipuæ ſunt: *1mo* Excellens quædam, & rara virtus. Ita Cicero Fonteio conciliat amorem à variis virtutibus & vitæ probitate Nro 30. *Frugi igitur hominem, frugi inquam, & in omnibus vitæ partibus moderatum ac temperatum, plenum pudoris, plenum*

num officii, plenum religionis videtis positum in Veſtra fide ac poteſtate: atque ita, ut commiſſus ſit fidei, permiſſus poteſtati. Videte igitur utrum ſit æquius, hominem honeſtiſſimum, Virum fortiſſimum, Civem optimum dedi inimiciſſimis, atque immaniſſimis nationibus, an reddi amicis; præſertim cum tot res ſint, quæ veſtris animis, pro hujus innocentis ſalute poſtulant.

Invenies in Curtio Libr: 4. egregium hujus affectus exemplum. Ubi Darius rogat Deos; ut Alexandrum hoſtem licet ſuum; Regni ſucceſſorem habeat. *Dii Patrii primum mihi ſtabilite Regnum: deinde ſi de me jam tranſactum eſt; precor ne quis Aſiæ Rex ſit, quam Iſte, tam juſtus hoſtis, quàm miſericors victor. &c.*

2do Utilitas & collata beneficia. Ita Cicero Miloni benevolos mirifice facit Judices, ob ejus in Patriam beneficia: *Me quidem Judices exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie. O fruſtra ſuſcepti mei labores, o ſpes fallaces, o cogitationes inanes. Ego cum Tribunus plebis &c.* Tandem infert: *Hiccine Vir Patriæ natus, uſquam niſi in Patria morietur? . . . . O terram illam beatam, quæ hunc Virum exceperit. . . &c.*

Vide totam hanc pro Milone perorationem, quæ tota amorem ſpirat. Similiter vide perorationes pro Flacco, & pro Cnejo Plancio.

3tio Nulla re magis comparatur amor, quam amore mutuo, ut monet pervulgata illa Senecæ vox: *Si vis amari ama.* & illa Pli-

Plinii ad Trajanum: *Habes amicos; quia amicus ipse es*. Perite etiam Cicero Epistola 1. ad Brutum: *Clodius Tribunus plebis valde me diligit ... quod cum mihi persuasum sit, non dubito; quin illum quoque judices à me amari; Nihil enim mihi, minus hominis videtur, quam non respondere in amore eis, à quibus provocere.*

Egregium tractati hoc modo amoris tibi subjicio ex sermone Divi Ambrosii; in obitu Satyri fratris sui:

Nunquam totus in me fui, sed in altero nostri pars major amborum. Atque utinam, ut memoriæ, ut gratiæ, ita etiam vitæ tuæ, hoc quidquid est, quod spiramus, aut spirare possemus. Ego te frater hæredem feceram; Tu hæredem me reliquisti; ego te superstitem optabam; Tu me superstitem dimisisti. Quid mei successor hæredis? quid agam meæ vitæ superstes? quid agam exsors hujus, quod cupio luminis...... O amari dies, qui interruptam copulam perditis, o flebiles noctes, quæ tam bonum consortem, & individuum mihi comitem perdidistis! Para hospiti consortium, & quemadmodum hic nobis omnia fuere communia; ita illic quoque dividuum nesciamus; nec quæso cupientem Tui deseras, properantem expecta, festinantem adjuva & si diutius Tibi morari videor, accerse. Neque enim unquam prolixius abfuimus à nobis; Tu solebas revisere, nunc quoniam redire non potes; nos ad te ibimus, æquum est ut officium rependamus. &c.

Sunt & plurimæ aliæ amoris conciliandi causæ, verum omnes ad tres superius indica-

dicatas revocantur; tales ſunt: Comitas & manſvetudo, morum ſimilitudo, bonorum & malorum communitas, periculorum quæ obita fuerunt paritas; ſtudiorum & exercitiorum communio. &c. &c.

§. II.

De Odio.

Odium eſt affectus Animi averſantis id, quod malum eſt, aut tale eſſe putatur. *Quid eſt Odium?*

Odium excitatur à contrariis amori capitibus; *1mo* Vitiis & improbitate vitæ. *2do* Illatis injuriis. Hujus affectus mirificum habes exemplum apud Cornelium Tacitum, in vita Agricolæ, ubi magnanimus ille Galgacus ſuorum Britannorum animos, adverſus Romanos irritare conatur ſequenti eximia oratione: *Quomodo excitatur odium?*

Raptores urbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ; & mare ſcrutantur. Si locuples hoſtis eſt, avari: ſi pauper, ambitioſi: Quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiſcunt. Auferre, trucidare, rapere falſis nominibus Imperium: atque ubi ſolitudinem faciunt; pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos, natura chariſſimos eſſe voluit; hi per delectus alibi ſervituri auferuntur. Bona fortunaſque in tributum egerunt, in annonam frumentum..... Britannia ſervitutem ſuam quotidie emit, quotidie paſcit &c.

Plurima alia hujus affectus exempla invenies in Cicerone imprimis in Oratione

pro Quintio Nro 56. inqua Nevium fraudulentum vocat in odium. Oratione pro domo/sua Nro 104. in qua invisam reddit religionem Clodii. Philippica 2da. contra Antonium. Item VII. Verrina in cujus tota peroratione odium conflat Verri.

Concitatur etiam odium à personæ lædentis indignitate, à dignitate personæ læsæ, à comparatione probitatis unius cum improbitate alterius. Ut habes in Cicerone: Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia, hinc pudicitia, illinc stuprum, hinc pietas, illinc audacia &c.

Quomodo extinguitur odium? Odium extinguitur *1mo* Precibus & lachrymis. *2do* Explicatione incommodorum, quæ ex odio percipiuntur. *3tio.* Causarum odii in meliorem partem explicatione. Pro exemplo sit illa gravis & plena Majestatis Oratio Volumiæ Matris ad Coriolanum filium; sic autem bona, & salutis Patriæ amantissima, Mater orditur:

Qualem domi conditionem Fili tua nobis fuga reliquerit; vel ex ipsa veste vultuque satis conjicere potes. Cogita nos fæminarum miserrimas ad te sordidatas venisse; quibus, quod jucundissimum natura spectaculum dederat, fortuna luctuosissimum fecit. Mihi ut filium, huic, ut virum Patriæ superbum hostem videat. Quæ autem cæteris in calamitatibus solatio esse solent, fusæ ad Deos preces, illæ nos in summas angustias conjiciunt. Neque enim licet simul & Patriæ victoriam, & a Diis tibi poscere salutem, sed quæ nobis hostes imprecentur, hoc afflictæ postulare cogimur, ut aut Patria careamus; aut

te

te orbentur Mater, Conjux & liberi. Ego vero non expectabo, donec mihi fortunam hanc decernat fatalis belli necessitas; verum nisi persuasero, ut tu extinctis odiis & dissensionibus utriusque partis benefactor esse malis, quàm perditor, sic habeto: Tibi per cadaver demortuæ Parentis ad Patriæ expugnationem esse transcendendum. Absit, ut ego illam diem expectem, qua vel triumphari de filio à civibus, vel filium de Patria triumphantem videam..... Bellum ut vides incertum, hoc habet certi, ut aut victor Patriæ, Furia sis futurus, aut victus, per iracundaim, atque inpudentiam amicissimos homines censearis in summum discrimen adduxisse. Quid siles Fili? An vero censes decorum omnia odio tuo permittere, Matri vero pro tantis rebus deprecanti, nihil? Hoccine magni animi est, injuriarum tam pertinaciter meminisse, pietatem vero in parentes tot nominibus venerandam, colere & revereri indignum? .... Et quidem infelix Patria satis jam pœnarum dedit, Matri vero nullam gratiam retulisti; adeo in ulciscendis injuriis, quàm in remunerandis beneficiis promptior es, & acrior. &c.

Ad hanc facundæ Matris Orationem, nihil quod responderet habuit Coriolanus, nisi voces illas: *Quo me adegisti Mater? vicisti.*

§. III.

De timore.

Timor est perturbatio animi nata ex opinione mali impendentis. *Quid est metus sive timor?*

E Ti-

Quomodo excitatur timor? Timor excitatur 1mo mali impendentis magnitudine, 2do mali & periculi vicinitate.

Prioris exemplum habes Catilinaria II. Nro 4 *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem. Cerno animo ſepultam Patriam, miſeros atque inſepultos acervos Civium. Verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi in veſtra cæde bacchantis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra Populique Romani, de veſtris conjugibus ac liberis de ſanis ac templis, de libertate ac ſalute Italiæ deque univerſa Republica decernite diligenter ut instituiſtis, ac fortiter.*

A vicinitate periculi habes exemplum pro Murena Nro 85 *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur redundarint? illa peſtis immanis, importuna, Catilina prorumpet qua poterit; & jam Populo Romano minatur, in agros ſuburbanos repente advolabit, verſabitur in caſtris furor, in Curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas, omni autem in ſede ac loco ferrum flammamque metuemus.*

Excitatur etiam timor; magnitudine aut vicinitate mali privati; improbitate & mala conſcientia adverſariorum; poteſtate nocendi in hoſte, vel in quovis alio, ut Judice. &c.

Quomodo ſedatur timor? Nulla re magis ſedatur timor, quàm ſpe & confidentia, multa timoris remedia præſcribit egregius morum Magiſter Seneca; inter alia docet corrigendum eſſe judicium præpoſterum de malis, quæ plerumque opinio-

nione tantum noſtra talia ſunt. Sic autem habet: *Plura ſunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & ſæpius opinione, quàm re laboramus. Illud tibi præcipio, ne ſis miſer ante tempus; cum illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint; certe nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quam debeant; quædam torquent, cum omnino non debeant.*

§. IV.

De Spe & Audacia.

Spes eſt gaudium ex opinione imminentis boni. *Quid eſt Spes?*

Spes excitatur *1mo.* Honeſtate & magnitudine boni, *2do.* Certis præſidiis ad bonum comparandum, qualia ſunt; opes, vires, induſtria, prudentia, amicorum potentia, adverſariorum imbecillitas, expectatus favor Divinus, gloriæ cupiditas; æquitas cauſæ. *Quomodo ſpes excitatur?*

Ita Alexander diuturnis laboribus fractos militum animos Spe erigit & hortatur apud Curtium Lib: 9. *Veſtras manus intueor, veſtram virtutem, rerum, quas geſturus ſum, vadem habeo; Quamdiu vobiſcum in acie ſtabo, nec meos, nec hoſtium exercitus numeravero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete; non in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus. Pervenimus ad ſolis ortum & Oceanum, niſi obſtat ignavia, inde victores, perdomito fine terrarum revertemur in Patriam. Nolite (quod pigri agricolæ ſolent) maturos fructus per inertiam amittere è ma-*

nibus. Majora ſunt periculis præmia, dives eadem & imbellis eſt regio; Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in Patriam, digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omiſsum relinquatis. &c.

Quid eſt audacia? Ad Spem pertinet audacia ſeu confidentia. Eſt autem audacia affectus quidam Animi adverſus futurum malum, quamvis arduum ac difficile, (quod tamen vinci poſſit) inſurgentis; concitatur iiſdem motivis, quibus ſpes. Ita Idem Alexander apud Curtium Libr: 7. Trecentos milites ad ſuperandam petram undequaque arduam, præruptam, ne callibus quidem ullis perviam, ac proinde omnino expugnatu difficillimam; adhortatur:

Vobiſcum inquit o Juvenes & mei æquales, Urbium invictarum ante monimenta ſuperavi; montium juga perenni nive obruta, emenſus ſum; anguſtias Ciliciæ intravi; Indiæ ſine laſſitudine vim frigoris ſum perpeſsus. Et mei documenta vobis dedi, & veſtra habeo. Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obſident; cætera negligunt, nullæ vigiliæ ſunt, niſi, quæ caſtra noſtra ſpectant. Invenietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferentes ad cacumen. Nihil tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſſet eniti. Experiendo, quæ cæteri deſperaverunt, Aſiam habemus in poteſtate. Evadite in cacumen, quod cum ceperitis candidis velis ſignum mihi dabitis: ego copiis admotis, hoſtem in nos à vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta X. uno minus accipiet, qui proximus ei venerit; eademque ad X. homines ſer-

servabitur portio. Certum habeo vos, non tam liberalitatem intueri meam, quàm voluntatem.

Plura hujus affectus exempla invenies. In Cicerone Catilinaria II. tota; Item Verrina VII. Nro 176. Philip: IV. Nro 10.

§. V.

De Misericordia.

Misericordia est dolor animi & ægritudo quædam ex malo alterius, præsertim immerito laborantis. In hoc excitando commiserationis affectu triumphare solet magni Oratoris industria. Siquidem ut vulgo dicitur. *Lachrymæ auditorum sunt laus Oratoris vel maxima.* *Quid est misericordia?*

Variæ ac multiplices sunt artes concitandæ misericordiæ, & commiserationis, has inter præcipua est *1ma.* Si is, qui malum patitur, eo plane indignus esse dicatur; *2da.* Si de Patria, si de nobis bene meritus fuisse ostendatur. *3tia.* Si calamitatis magnitudo vel diuturnitas ceteræque hujusmodi circumstantiæ luculenter exponantur. *4ta.* Si tristia quædam recentis miseriæ signa monimentaque ob oculos Auditorum ponantur; ut cruentæ vestes, vel ipsum occisi cadaver aut imago. Sic Marcus Antonius prolata Julii Cæsaris Veste pugionibus ac gladiis perforata, sanguineque cruenta, Romanam plebem ita accendit, ut ad Conjuratorum ædes inflammandas, è vestigio provolaverit. Ita Brutus confossum & cruentatum Lucreciæ corpus Populo Romano proposuit. Sic Clotil- *Quomodo misericordia concitatur?*

tildis Clodovæi filia dure & inclementer habita à Marito Almarico Visigothorum Rege, cum sudarium suo imbutum sanguine ad fratres suos Francorum Reges misisset; immane illud bellum excitavit, quo res Visigothorum penitus attritæ deletæque fuerunt; Potens est sane illud, unde miserationem accersas, cum plerumque visu magis quàm auditu homines commoveantur.

Pulcherrimum ciendæ commiserationis exemplum subjicio ex Libro I. Livii; Ubi miro artificio usus est Horatius Senior, ut Filium ob interfectam sororem, parricidii reum, ab imminenti morte liberaret:

Hunccine, quem modo decoratum ovantemque victoria, incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum, inter verbera & cruciatus videre potestis? Quod vix Albanorum oculi, tam deforme spectaculum ferre possent. I. lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ, Imperium Populo Romano pepererunt. I, caput obnube Liberatoris Urbis hujus, arbori infelici suspende; verbera vel intra Pomærium, modo inter illa pila & spolia hostium: vel extra Pomærium, modo intra sepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc Juvenem potestis, ubi non sua decora eum, à tanta fœditate supplicii vindicent.

Plurima & pulcherrima commiserationis exempla invenies in Cicerone. Oratione pro Fontejo Nro 37. pro Sextio Nro 57. pro Rabirio Posthumo Nro 45. Actione 7. In Verrem Nro. 158. & 160. pro Domo sua Nro 59. &c.

§. VI.

§. VI.

De Ira & indignatione.

Ira est sui propter contemptum ulciscendi cupiditas cum dolore conjuncta. Unde non multum differt ab Odio, quod est ira quædam inveterata. *Quid est ira?*

Ira incenditur commemoratione illatæ injuriæ præsertim si injuria sit cum contemptu conjuncta Sic Cicero pro Amerino Nro 146. Chrysogono Judices infensos reddit, quod Roscium maledictis persequeretur: *Quomodo incenditur ira?*

Quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis? si tibi omnia sua, præter animam tradidit, nec sibi quidquam paternum ne monumenti quidem causa reservavit; Per Deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis unquam prædo fuit tam nefarius? quis Pirata tam barbarus, ut cum integram prædam sine sanguine habere posset; cruenta spolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, & tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odisse debes.

Indignatio est dolor perceptus ob secundas res bonaque alterius, qui hac felicitate judicatur indignus. *Quid est indignatio?*

Indignatio excitatur 1mo Si vitæ prioris sordes & vilitas, cum præsentis temporis opibus, potentia, & arrogantia præsertim, conferantur, 2do Si hominis in quem indignamur vitia, cum ejus, cui antefertur virtutibus comparentur. Ex primo capite Tullius *Quomodo excitatur indignatio?*

lius indignationem ita movet in Vatinium: *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patior latere.....* Deinde commemorat, ut homo vilis & obscurus paulatim ad honores accesserit, tandemque illa subjungit: *Te cognati respuunt, Tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt.*

Similiter divitias Chrysogoni inique partas & præposteram emptionem bonorum varie indignatur Cicero pro Roscio Amerino Nro 133.

Item Præfecturam Class: Rom: commissam homini Syracusano Cleomeni Verrina VII. Nro 82.

§. VII.

De Mansvetudine.

Quid est mansvetudo? Mansvetudo seu lenitas, ac clementia, est motus oppositus iræ; definiturque: Iræ remissio atque mitigatio.

Quomodo mansvetudo conciliatur? Mansvetudo conciliatur:

1mo. Ingenua quadam culpæ confessione ac dolore. Ita Cicero Cæsarem iratissimum licet, tamen Ligario placavit. Oratione pro Lig: Nro 30. *Ad judicem sic agi solet; sed ego ad Patrem loquor; erravi, temere feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto, ut ignoscas oro.*

2do. Supplici animi demissione: Ita Cicero pro Murena Nro 86. *Vester est supplex, Judices, Vestram fidem obtestatur; misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes intuetur.*

3tio. Plurimum valet ad conciliandam cle-

clementiam, si is, qui peccavit ostendatur: non dedita opera non dolo malo peccasse; sed vel incautus, vel errore humano deceptus, vel necessitate adactus. Sic Cicero pro Dejotaro, pro Ligario, pro Marcello; mansvetudine veniaque dignos probat illos, qui præter voluntatem in Cæsarem aliquid deliquerunt. Et quidem pro Marcello Nro 13. *Atque hoc C. Cæsaris judicium P. C. quàm late pateat, attendite: omnes enim, qui ad illa arma, fato sumus nescio, quo, Reipublicæ misero funestoque compulsi; etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis Reipublicæ conservavit: memet mihi & item Reipublicæ, nullo deprecante; reliquos amplissimos Viros & sibi ipsis & Patriæ reddidit, quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipso in consessu videtis. Non ille hostes induxit in Curiam, sed judicavit à plerisque ignoratione potius & falso atque inani metu, quam cupiditate civile bellum esse susceptum.*

§. VIII.

De Æmulatione.

Æmulatio est dolor ex aliena felicitate susceptus, non quod illi contigerit, sed quod nos illa careamus. Ita Magnus ille Alexander cum ad Achillis tumulum adstitisset; æmulatus est ejus felicitatem dicens: *O fortunate Adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* *Quid est æmulatio?*

Æmulatio differt ab invidia; quia hæc

vi-

vitiosa est & turpis, facitque nos velle ne alter bonis potiatur; Illa autem bona est, laudabilis & honesta, utpote quæ nos excitat, ut ipsi quoque bona, quæ in aliis videmus, consequamur.

Quomodo concitatur æmulatio? Emulatio concitatur *1mo* Explicatis præclare gestis majorum; Parentum virtutibus; nominis gloria *2do.* Propositis illustribus exemplis Virorum Illustrium

3tio. Promissa decoris & famæ amplificatione.

Ita Cicero Oratione pro Sextio Nro 136 Romanam Juventutem excitat ad æmulationem Clarorum Virorum: *Vos Adolescentes, & qui nobiles estis: ad Majorum vestrorum imitationem excitabo, & qui ingenio & virtute nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi & honore & gloria floruerunt, cohortabor. Hæc est una via, mihi credite, & laudis & æternitatis & honoris .... Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla sunt, hæc Divina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur Est labor, non nego, pericula multa, fateor; multæ insidiæ sunt bonis &c.*

§. IX.

De pudore.

Quid est pudor? Pudor est animi dolor, ex re, quæ famæ labem inferre potest.

Pu-

Pudor excitatur *1mo.* Explicata rerum turpitudine. *Quomodo excitatur pudor?*

2do. Declarata animi remiſſione & negligentia in rebus gerendis.

3tio. Injuſtitia facinoris pateſacta.

Sic Cicero Oratione VII. pudorem concitat ab inope & infirma Claſſe Populi Romani portu egrediente Præfecto Cleomene, luxurioſo Prætore Verre Nro. 85. *Egreditur præclara Claſſis in ſpeciem, ſed inops & infirma....... O tempus miſerum atque acerbum Provinciæ Siciliæ! o caſum illum multis innocentibus calamitoſum atque funeſtum! o iſtius nequitiam ac turpitudinem ſingularem! Una atque eadem nox erat, qua Prætor amoris turpiſſimi flamma, ac Claſſis Populi Romani Prædonum incendio conflagrabat....... Proh Dii immortales! piraticus Mioparo, cum Imperium Populi Romani, nomen ac faſces eſsent Syracuſis, uſque ad forum Syracuſanum, & ad omnes urbis crepidines acceſſit, quo neque Carthaginenſium glorioſiſſimæ claſses, cum Mari plurimum poſsent, multis bellis ſæpe conatæ nunquam aſpirare potuerunt...... O ſpectaculum miſerum atque acerbum! ludibrio eſse Urbis gloriam, Populi Romani nomen. &c.*

§. X.

De Gaudio.

Gaudium eſt motus animi, quo ferimur in bonum præſens. Unde oritur delectatio & quædam animi quies & tranquillitas. *Quid eſt gaudium?*

Gau-

Quomodo excitatur gaudium?

Gaudium excitatur 1mo. Insperato bono, novitate & insolentia rei. 2do. Commutatione malæ fortunæ. 3tio Virtute, & bona conscientia.

Hunc gaudii affectum excitat Cicero Oratione in Pisonem Nro 52. dum reditus sui celebritatem ac lætitiam describit:

Unus ille dies, mihi quidem immortalitatis instar fuit, cum in Patriam redii, cum Senatum egressum vidi Populumque Romanum universum, cum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis ad conservatorem suum progredi visa est, quæ me ita accepit, ut non modo omnium generum, ætatum, ordinum omnes Viri ac Mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur & tecta Urbis ac templa lætari.

Vide hunc affectum fusius tractatum in Oratione ad Populum. & post reditum ad Quirites, & in exordio Orationis II. in Catilinam.

§. XI.

Usus Affectuum in genere.

In affectuum usu illud generatim est observandum quod monet Cicero de Oratore Lib: 2. *Ut omnes motus, quos Orator adhibere volet Judici; in ipso Oratore impressi atque inusti esse videantur. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis, Judex, si tu ipse id lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducitur, nisi ei tu, signa doloris tui, verbis, sententiis,*

voce, vultu, collachrymatione denique ostenderis. Ut enim nulla materia, tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne, ignem concipere possit, sic nulla est mens tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipsa ad eam & ardens accesserit.

1mo. Igitur si affectum sive lenem, sive violentum ciere voles; pone Auditoribus ob oculos, omnia bona malave, quæ rei, vel personæ de qua tractas insunt vel inesse videntur; idque sufficienti copia & celeritate. Ad hoc præstandum valere debes acie ingenii, qua multa ad scopum opportuna in re detegas; valere debes torrente sermonis, & apta vocis contentione; ne frigidiuscula dictione omnem vim elidas.

2do. Plurimum proderit, diligens observatio, quonam affectu magis quivis sexus, ætas, conditio hominum moveatur. Sic pueri & adolescentes lætiores affectus amant, è contra Viri ac Senes gravioribus delectantur. Item vis concipiendi vivide imagines rerum, hominumque iratorum, querentium, lætitia gestientium, supplicantium, quo fit ut absentia velut coram intueamur. Hoc probe intellexerat celeberrimus ille Græcus nomine Polus, qui Athenis acturus fabulam Sophoclis, cum repræsentandus esset dolor Electræ gestantis Cineres Orestis, clanculum eruit è sepulchro cineres ossaque filii, quem amaverat unice, urnamque detulit in Scenam; sicque dum lugere videretur aliena mala, deflebat sua.

3tio. Ad movendum non accedas, ante-

quam

quam de themate proposito, manifestis argumentis demonstrato, fidem auditoribus feceris. Voluntas enim ad incognitum non inclinatur; aut certe commotio momentis rationum non innixa, in ventos abit.

4to. Adhibebis in affectibus crebras, acutas, & vibrantes sententias; ipsosque affectus, pro rerum varietate, varie immutabis. Sit pro exemplo variandorum affectuum, Materia, quam suggero.

Mater deplorat Filium in bello occisum.

Affectus amoris? Quis sit animus Matris in liberos, quotusquisque intelligit: tum denique ego amare filium didici, cum infelicissime in bello perdidi. O misera sors orbitatis meæ! o spes fallaces! o frustra susceptæ curæ! An idcirco te genueram fili, ut esses, quem tristi morte sublatum lugerem? Ego cum te forma & ætate florentem videbam, mihi certam salutem pollicebar. Putavi, speravi, credulam eventus fefellit. Nunc doleo omnia ex spe & voluptate, ad calamitatem & orbitatem excidisse. Itaque, fili, tua morte Matris vitam abstulisti; ipsique vivæ flentique, funus duxisti neque enim te mortuo, diu superstes esse possum.

Desiderii? Ego te non requiram, Nate? aut possim tui unquam oblivisci? aut aliquid à me, præter suspiria & lacrymas habebis? Ipsæ ipsæ dulces lachrymæ, ipsi fletus jucundi, quibus animi dolor & desiderium tui, Nate, explebitur. O non amaræ dies, quibus charum filium animo & recordatione complectar,

aspi-

aspiciam, alloquar, osculabor! o non flebiles noctes, quæ nullius, aut modici somni socium & comitem non importunum referetis?

Quantum, quamque immane monstrum esse bellum, & apud quos conceptum dicemus? Vah portentum! vah! labes! vah gurges & Charybdis infausta! Quot hominum sanguinem gustasti vel potius exsorbuisti? quot fortes viros, robur Patriæ, quot claros juvenes, florem nobilitatis, quot adultos liberos, spem ac delicias familiarum, quos ad fortunam vita servabat, crudelissime contrucidasti. Nunquam ego immanitatem tuam tacebo, quam in me Parentem, ac meum filium adhibuisti, nunquam imprecari tibi, exprobrare, & persequi te desinam. *Odii.*

Perhorrescite, Matres, detestata jam pridem bella: has voragines scopulosque filiorum nostrorum fugite. Nulla jam tot annis jactura & clades existit nisi bello, nulla vis, nulla cædes, nullum flagitium sine bello. Procul bellum è finibus nostris, quod omnis Mater, fugit oculis, respuit animo, recordatione perhorrescit. *Fugæ.*

Cernitis percussorem filii, an sola Mater video? non videtis furorem hostium? non repentinum impetum? Non versatur ante oculos vestros in cæde nefarius Miles? non adest barbarus? non suis manibus intentat ensem? non filii jugulum præcidit? Perditissimè mortalium, quid te sceleratius? istam ego furiam non exagitabo? non repetam sanguinem filii? Non vindicem Deum appellabo? *Iræ.*

Ah miles! Sic te alloquitur filius, sic tuam *Man-*

gra-

Consuetudinis? graviter saucius fidem implorat. Quoniam varius est exitus & anceps belli fortuna, & Mars fortissimum sæpe ex acie tollit; noli mecum sic agere, gloriæ non satis vixi, noli juvenilem atque in herba adhuc spem resecare. Da precor aliquid vel hosti, permitte supplici, cede afflicto. Per victricem hanc dextram, quam apprehendo, per belli pericula, quorum & ipse es particeps, per decus & nomen, quod magno labore quærimus, te oro, te flagito, te obtestor.

Commiserationis? Adestis, amici, verum quo tandem animo adestis? utrum ego amens sum, & plus, quam satis est doleo, in tanta calamitate & morte Filii? An vos quoque hic obitus & mæror, pari sensu doloris afficit? Nam si non ad amicos, si non ad homines, verum ad bestias, aut etiam ut longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & scopulos, hæc conqueri ac deplorare vellem, tamen omnia muta atque inanimata tam crudeli morte filii moverentur. Nunc vero cum pietatem & amicitiam vestram obtestor, non vereor, ne non misericordiam tribuatis aliquam fortissimo juveni, in ætatis flore pro Patria perempto.

Indignationis? Dii immortales, quonam fato fieri dicam, ut fortis occidatur ab inerti, strenuus ab ignavo, clarus ab abjecto; hoc vero quis ferat? meticulosum militem egregii Ducis cruenta spolia prædari, gloriari, insolenter in juvenis cæde bacchari, & tanquam, si palmare facinus edidisset, exultare gaudio, triumphum petere, acclamatione ac plausu improborum efferri?

Etsi

Etsi omnis spes mea fili cum salute tua occubuit, erigo me nonnunquam & futura prospicio, quasi fortunata sit mors tua. Communicabo ni fallor cum gloria tua, veniam in partem meritorum, triumphabit Mater, de morte Filii; negat enim Patria, pro qua fortiter occidisti, negat se ingratam esse; negat superstitem Matrem carere propositis honoribus debere. Hæc illa me spes alit, & excitat; vives in gloriosa Matre filius; quid perdiderim, non reputabo, quid morte tua acquisierim id æstimabo. *Spei.*

Ego te mortuum complector, fili, nec me solam tuæ mortis commiserantem, sed comitem habebis. Utinam hoc pectus gladiis objicere, & adversa, fili, tua vulnera recipere potuissem, nullam ego acerbitatem, dolorem nullum, nullam vim pertimuissem, ut te modo manibus armatorum hominum eripere valuissem. Quin, nunc mori non refugio, imo lacesso mortem & provoco, ut nos ocius uno eodemque tumulo conjungat. *Confidentiæ seu Audaciæ?*

Actum est, periit, nequidquam homines Superosque implorem. Mors immansveta mitigari non potuit, nec jam precibus infernus recludetur, neque ab hoc ejecto cadavere, quidquam mihi opis expecto. Omnia sunt in hoc funere misera. Quid restat? aut mortis consilium, aut vita morte acerbior. *Desperationis?*

Vos testor, Cælites, ego quidem bellorum rabiem ac furorem in istis armorum moribus semper filio putavi esse fugiendum. Signa & tubæ, pulsataque tympana præsagienti Matri, metum semper atque horrorem incutiebant. Tum si quis è commilitoni- *Timoris?*

bus filii in pugna cæſus audiebatur, augebatur metus mali appropinquantis: Cum interim animus languore corporis ac timore debilitatus, incidit in varia viſa & incerta quorum perturbatione, triſtes ſæpe extiterunt ſpecies ſomniorum, quæ flebilem hanc mortem portenderunt.

Gaudii? Quid! ego lugeam illum? qui ſe deflere vetat. Vivit filius inter Cælites, & qui extremum ſpiritum in victoria effudit; Heroum eſt ſedem & locum conſecutus O fortunata mors! o felicem & beatam diem, quem mihi, & Patriæ, & Filio natalem Superi eſſe voluerunt. Itaque quod ne optandum eſt homini, immortalitatem quandam hic per te, & tecum fili videor aſſecutam.

Æmulationis? Generoſi, Juvenes, quorum erectos atque alacres animos bellum excitat ad pugnam reſpicite, reſpicite ad meum filium, ejuſque res geſtas imitamini. Hanc vobis ſanguine ſuo viam ſignavit & laudis, & fortitudinis & immortalitatis. Sic ille ſe non ſibi ac matri natum ſed Patriæ ſed gloriæ eſſe voluit; ſic in acie fortiter occumbere maluit quam redire turpiter.

FINIS LIBRI PRIMI.

AR-

ARTIS RHETORICÆ

LIBER SECUNDUS.

De Dispositione.

Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio. *Quid est Dispositio?*

Nempe ubi ad propositam quæstionem, vel ex lectione Authorum, vel ex felicioris ingenii fonte, plurima tum ad fidem faciendam, tum ad motus excitandos inveneris, & annotando congesseris; primæ dispositionis partes erunt, inventa omnia mature examinare; ex illis præclara præcipue pulchra, nervosa, & quod vel maximum est, recte ad rem collineantia seligere; selecta in ordinem redigere, qui non minus necessarius est ad persvasionem, quàm instructio exercitûs ad pugnam & victoriam; & in ædificio, lapidum cæmentique apta compositio ad ædium opportunitatem & elegantiam.

Ordo enim in oratione præstat; ut illa audiatur libentius, audita intelligatur facilius; intellecta firmius inhæreat.

In quo sita est dispositio?

Dispositio in eo sita est; quod ipsâ naturâ duce agimus, ubi cum aliis tractandum, aut ab illis quidpiam petendum est. 1mo. Præmittimus aliquid, quo benevolentiam ipsorum nobis conciliemus. 2do. Exponimus breviter negotium, cujus causâ venimus. 3tio. Momenta causæ ac rationes afferimus, cur id contendamus. 4to. Denique instamus, precamur, promittimus, ut assensum extorqueamus. Et hæc dicitur dispositio naturalis, utpote, quæ non tam arti, quam soli naturæ instinctui innititur. Altera est dispositio artificiosa, quæ à longo usu & arte petitur.

Quisnam Ordo servandus est in dispositione artificiosa. Sive Quænam sunt Orationis Partes?

Sicut naturalis sic artificiosæ dispositionis partes, in quavis Oratione præcipuæ, sunt quatuor. I. Exordium. II. Narratio. III. Confirmatio seu Contentio. IV. Peroratio. Exordio præparamus Auditorem. Narratione, rem & causam exponimus. Contentione, cùm nostra tuemur & defendimus; tum adversariorum, si quæ adsunt, objecta refellimus. Peroratione concludimus.

Sunt, qui non quatuor duntaxat, sed sex omnino velint esse Orationis partes. Nempe Exordium, Propositionem cum Divisione. Narrationem. Confirmationem. Confutationem & Perorationem. Nos nullam harum rejicimus. Sed Propositionem cum sua partitione ad Exordium; Confutationem vero ad confirmationem revocamus.

CA-

CAPUT I.

De Exordio.

Exordium est pars Orationis Auditorum animos idonee comparans ad reliquam dictionem. Unde, quod in humano corpore caput, quod in ædibus vestibulum est; hoc est Exordium in Oratione. Atque adeo præcipua quadam cura, diligentiaque est elaborandum, naturæ ipsius instar, quæ in fingendo, atque ornando capite, potissimum desudare consvevit. Unde etiam Exordium. *Difficilluma pars Orationis* vocatur à Tullio, recteque advertit Polybius: Fieri non potest ut finem consequatur, qui principium non recte fuerit auspicatus. *Quid est Exordium?*

§. I.

De variis Exordium generibus.

Exordium duplex est: aliud justum ac legitimum, quod etiam temperatum appellatur; alius est vehemens & abruptum; sive ex abrupto. *Quotuplex est Exordium?*

Exordium temperatum illud est, quo Auditorum animi, artificiosa quadam verborum conciliatione præparantur. *Quid Exordium temperatum?*

Exordium ex abrupto est illud, quo Orator, quasi quodam abreptus impetu; Auditores repentino & inopinato motu percellit. Tale est celebratissimum illud Ciceronis in Catilinam. *Quousque tandem abutere* *Quid ex abrupto?*

Ca-

Catilina patientia nostra? &c. & aliud in Pisonem: *Jam ne vides bellua* &c.

Quot modis fit exordium ex abrupto? Exordium ex abrupto fit *1mo.* Per licentiam seu per liberiorem quendam loquendi modum. Sic Mutius Scævola deprehensus in Porsennæ castris, ita eum ex abrupto alloquitur: *Romanus sum Civis; C. Mutium vocant Hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est, quàm fuit ad cædem, & facere & pati fortia, Romanum est &c.* Liv: Libr: 2.

2do. Fit per indignationem & increpationem. Sic apud eundem Livium Veturia filium Coriolanum ex abrupto alloquitur: (*) *Sine, priusquam complexum accipio, sciam, ad hostem an ad filium venerim; captiva, Mater ne in castris tuis sim? In hoc me longa vita & infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem! Potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo & minaci perveneras, ingredienti fines, ira cecidit? Non cum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra ista mœnia, domus ac Penates mei sunt; Mater, conjux, liberi &c* Liv: Lib: 2.

(*) *M. Coriolanus plebis odio in exilium actus, Patriæ postea bellum intulit?*

3tio. Fit per Emphasim, vel per illustrem aliquam figuram, quæ statim animos feriat. Sic Darius adversam in præliis fortunam expertus; jam tertio redintegrata cum Alexandro pugna; milites suos alloquitur: *Terrarum, quas Oceanus hic alluit; illinc claudit Hellespontus, paulo ante domini; jam non de gloria, sed de salute & quod saluti præponitis, de libertate pugnandum est. Hic dies Imperium, quo nullum amplius vidit ætas,*

tas, aut constituet, aut finiet... Ventum est eo, unde pulsis, nec fugæ quidem locus est. Omnia tam diutino bello exhausta post tergum sunt; non incolas suos, urbes, non cultores habent, terræ. Conjuges quoque & liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus præda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponitis &c. Curtius Lib: 4.

Exordium ex abrupto potissimum usurpatur, vel in summa aliqua gratulatione & lætitia, vel in summa quapiam offensione aut indignatione. his enim potissimum Orator extra se quodammodo rapi videtur; extra hæc exordia ex abrupto plerumque vitiosa audiunt. *Quandonam usurpandum est Exordium ex abrupto?*

§. II.

De Virtutibus ac vitiis Exordii.

Exordii dotes ac virtutes, quatuor vulgo recensentur. *Proprietas; Cura, verecundia, brevitas.* *Quot sunt Exordii dotes ac virtutes?*

Proprietas Exordii in eo consistit; ut sit cum reliqua Oratione conjunctum, hoc est ex re quasi natum, & ex ipsis causæ visceribus ita depromptum, ut ex ipsius natura, quodammodo videatur efflorescere. Porro per viscera Causæ intelliguntur Adjuncta; vel Personæ quæ dicit, vel loci ubi dicit, vel eorum apud quos dicit, vel temporis quo dicit, vel materiæ, de qua dicit. *In quo consistit proprietas Exordii?*

Cura Exordii in eo posita est, ut sit accuratum, acutum, sententiis instructum. Ut monet Cicero: *Vestibula aditusque ad causam facias illustres.* Prima quippe Orato- *In quo posita est Exordii cura?*

ris

ris commendatio proficiſcitur ab Exordio, quodſi negligentius tractatum fuerit, reliqua omnia faſtidiet, & nauseabit Auditor.

In quo conſiſtit Exordii verecundia? Exordii verecundia in eo conſiſtit; Ut Orator dicere incipiens, præſeferat ingenuum quendam pudorem, quem in Oratore ſummo L. Craſſo tantopere laudabat Cicero: *Fuit*, inquit, *in L. Craſſo pudor quidam, qui non modo non obeſſet ejus Orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet*. Et ipſe etiam Tullius ſic de ſe confitetur Lib: I. de Oratore: *In principiis dicendi tota mente, atque omnibus artubus contremiſco*. Sciebat nempe, ſummus ille dicendi artifex & doctor, offendi ſolere auditorum animos, ſi Orator velut exultans ſibique præfidens ad dicendum accedat.

In quo conſiſtat brevitas Exordii? Brevitas Exordii in eo conſiſtit, ut reliquæ Orationis magnitudini ſit accomodatum, utque inani verborum circuitu non producatur longius, quàm par ſit; neque enim Pigmæo corpori Gyganteum caput aptandum eſt. Nolim tamen Orationi cæteroqui longiuſculæ, breviſſimum, ut nonnulli ſolent, affigatur exordium, dedecent enim viciſſim ingentem Baſilicam, exiguæ fores.

Quæ ſunt vitia Exordii? Primum Exordii vitium eſt, ſi ſit commune, hoc eſt, ſi cauſis aliis, & fortaſſe etiam contrariis poſſit accommodari. Ejuſmodi exordia lepidè comparantur ephippio, quod equis bene multis accomodaretur. Secundum vitium eſt, ſi ſit procul accerſitum, longiusque petitum. Tale fuit inepti cujuſdam cauſidici, qui de lite inter duos vicinos acturus; exordium petivit ab Adamo, vixque ad diluvii tempora tandem pervenit. Ter-

Tertium vitium, si pluribus verbis aut sententiis, ultra, quam reliquæ orationis brevitas postulat, producitur. In enormia id genus proœmia bellissime quadrat facetum illud Diogenis ad Myndios, (qui suo oppidulo magnificas & grandes fores affixerunt) dictum: *Viri Myndii portas claudite, ne Urbs exeat.*

§. III.

De variis Exordiorum fontibus.

Ex plurimis & variis, unde derivari solent exordia fontibus; præcipui sunt sequentes:

1mo. Exordium recte ducitur, ab Adjunctis, Personæ, rei, loci, ac temporis: Atque hic erat fons perquam familiaris Ciceroni, qui hinc ferme solebat exordiri. Sic in Oratione pro M. Cælio exorditur à temporis insolentia; quippe die festo, contra quàm fieri soleret, causam dicere cogebatur. Exordium Milonianæ ducitur à persona adversariorum qui armati forum obsidebant, à persona Pompeji Judicis, ab insolita judicii forma. Pro Rege Dejotaro ducit exordium ab angustiis loci, in quo habita fuit Oratio, nempe in ædibus Cæsaris.

Habes illustre exemplum ab adjunctis Personarum in Livio. Ubi Philippus Rex Macedonum, inter duos filios suos, quorum unus alterum parricidii accusabat; à sua Parentis persona sic exorsus est: *Sedeo miserrimus Pater judex inter duos filios; accusatorem parricidii; & reum; aut conficti, aut*

ad-

admissi criminis labem apud meos inventurus. Jam pridem quidem, hanc procellam imminentem timebam, cum vultus inter vos minime fraternos cernerem, cum voces quasdam exaudirem; sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. &c.

2do. Ducitur Exordium à rotunda simplicique rei expositione, sine fuco, & sine ullo in speciem artificio. Ita Cicero pro Ligario: *Novum crimen C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit &c.*

3tio. Ducitur exordium à Contrario, cum prima fronte ea videmur dicere, quæ causæ nostræ sunt omnino contraria, & adversariis faventia, ut scilicet eos, nihil minus cogitantes, in nostram sententiam trahamus, in quo sane est artis & industriæ plurimum.

Ita Alexander apud Curtium milites suos cohortaturus ut secum audacter pergant ad extremas Indiæ partes, primo videtur probare illorum studia, qui reditum in Patriam cogitabant: *Magnitudinem rerum, quas gessimus, milites, intuentibus vobis, minime mirum est & desiderium quietis, & satietatem gloriæ occurrere . . . . . Itaque si crederem satis, certam esse possessionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus; ego vero, milites, ad Penates meos, ad Parentem sororesque & cæteros Cives, vel renitentibus vobis, erumperem, ut potissimum parta vobiscum laude & gloria fruerer; ubi nos uberrima victoriæ præmia expectant, liberorum, conjugum, parentumque lætitia, pax, quies,*

quies, rerum per virtutem partarum secura possessio. &c.

Deinde mutata sensim velificatione in contrariam sententiam callidissime descendit: *Quid? creditis, tot gentes alterius imperio ac nomine assvetas, non sacris, non moribus, non commercio linguæ nobiscum cohærentes, eodem prælio domitas esse, quo victæ sunt? Vestris armis continentur non suis moribus; & qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt &c.*

4to. Ducitur exordium ab insigni quopiam effato & dicto, vel ab illustri exemplo. Exemplum hujus habes in Sallustio: ubi Catilina suos conjuratos ad impium bellum cohortatur hoc effato:

Compertum habeo, milites, verba viris virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri? Quanta cujusque animo audacia, aut natura moribus inest, tanta in bello patere solet. &c.

5to. Duci potest exordium ab insigni aliqua quæstione. Ita Tullius suum de inventione Rhetorica librum auspicatur: *Sæpe & multum hoc mecum cogitavi, boni ne, an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium. &c.*

6to. Præclare admodum ducitur Exordium à Suspensione, quæ mirifice præparat Auditorum animos magnæ alicujus rei expectatione, & acuit vehementi cupiditate sciendi, quid demum sit illud, quod polliceatur Orator: Ita Cicero Verrina I.

Quod

Quod erat optandum maxime, Judices, & quod unum ad invidiam Vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pertinebat; id non humano consilio sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo Reipublicæ tempore videmus. Inveteravit enim jam opinio perniciosa Reipublicæ vobisque periculosa, quæ non modo Romæ, sed apud exteras nationes omnium sermone percrebuit; his judiciis, quæ nunc sunt; PECUNIOSUM hominem, quamvis sit nocens; nullum posse damnari &c.

Denique, quodvis exordium ab ipsis causæ visceribus, (ut superius innuimus) hoc est ab intimis causæ principiis, trahendum est, & in illo solerter jacienda sunt argumentorum & affectuum illa semina, quæ in reliqua oratione retractata, fusius explicentur. Id vero non difficulter efficies, si ex Quintiliani & Ciceronis præcepto, diligenter intuearis: Apud quos, pro quibus, contra quos, quo loco, tempore, quo rerum statu, dicendum sit tibi, quid Auditores vel Judices sentire credibile sit, quis sit Orationis tuæ scopus, quid petas, quid consequi velis? Hæc ubi perspecta tibi mature fuerint; ipsa te Magistra Natura facile docebit, unde sit tibi capiendum orationis Exordium.

§. IV.

De officio & fine exordii.

Quodnam est officium Quis finis exordii?

Exordii officium ac finis est triplex, scilicet: reddere Auditorem benevolum, attentum & docilem.

Au-

Auditor benevolus redditur ex quadruplici capite: 1mo à Persona Oratoris ipsius. 2do à Persona Adversariorum. 3tio à Persona Auditorum vel Judicum; 4to à Persona illius, pro quo dicitur. *Unde redditur Auditor benevolus?*

Auditor benevolus redditur à persona Oratoris ipsius, si Orator modestiam, pudorem, probitatem & ingenuum quendam candorem ore potius & reipsa præseferat, quàm verbis ostentet. Poterit tamen interdum sua merita, suum officium, suas virtutes, sed parce omnino ac sine arrogantia commendare, quod mirifice facit Tullius in Oratione pro Archia suo quondam Magistro: *Si quid est in me ingenii Judices, quod sentio, quàm sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum, aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse; earum omnium rerum, vel imprimis hic A. Licinius fructum à mè repetere prope jure suo debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem, & ad suscipiendam & ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. Quodsi hæc vox, hujus hortatu præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: à quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios servare possemus; huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, & opem & salutem ferre debemus.* *Quomodo redditur Auditor benevolus à persona Oratoris?*

Col-

Quomodo colligitur benevolentia à persona adversariorum?

Colligitur benevolentia à persona Adversariorum 1mo. Si Orator dicat se illorum aut nimiam eloquentiam, aut gratiam revereri; sicque illam reddat suspectam Judicibus; quod pulchre admodum facit Cicero pro Quintio: *Quæ res in Civitate duæ plurimum possunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia, quarum alteram C. Aquilii vereor, alteram metuo &c.*

2do. Si illos in odium & in invidiam adducere, vitiorum, quibus laborant commemoratione, conetur; quod sæpissime fecisse Ciceronem legimus; Sic pro Dejotaro: *Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum & impium; qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæque suæ terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri & tegere debebat.*

Quodsi Adversarius, sit vir bonus notæque probitatis ac fidei; Eundem Ciceronem imitaberis, qui cum pro Murena diceret, Catonemque Virum antiquæ virtutis haberet adversarium; non quidem in ejus vita moribusque quidquam culpavit; sed tamen ut illi quoquo demum modo fidem detraheret; sectam Stoicorum, cui se Cato totum addixerat, irridere cæpit, idque tam acute & facete, ut judicium risu dissolveretur, & Cato ipse dixerit: *Quàm ridiculum habemus Consulem.* Aut etiam facies, quemadmodum fecit Valerius Tribunus Plebis, qui habens etiam Adversarium Causæ suæ Catonem; ita orsus est: *Si privati tantummodo ad suadendum dissuadendumque id, quod à vobis roga-*

gatur processissent, ego quoque cum satis dictum pro utraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra expectassem. Nunc cum Vir gravissimus Consul Portius Cato, non auctoritate solum, quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram; necesse est paucis respondere. Rem defendam non nos &c.

Captatur benevolentia à persona Auditorum vel Judicum *1mo.* Si eis confidere videatur Orator Ut Cicero pro Roscio Amerino. *2do.* Si suam causam cum eorum utilitate conjungat. Ut idem passim in Philippicis *3tio.* Si eorum justitiam, fidem, authoritatem, & alias dotes. maxime quæ ad rem Oratoris sunt; commendet. Ut in exordio pro Milone Cicero Pompejum laudat à sapientia justitiaque cum ait: *Sed me recreat & reficit Cnei Pompeji sapientissimi & justissimi viri consilium, qui profecto nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententiis judicum tradidisset, eundem telis militum dedere: nec sapientiæ; temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.*

Quomodo captatur benevolentia à persona Auditorum vel Judicum?

Captatur benevolentia à persona clientis, si illius innocentiam virtutemque commendes; si illius calamitatem, amicorum inopiam & solitudinem conqueraris Ita Cicero pro Roscio Amerino.

Quomodo à persona clientis, sive illius pro quo dicitur?

Cicero de Invent: Lib: 1. Tum dicit esse insinuatione, sive captatione benevolentiæ utendum: cum genus causæ admirabile est, à quo alienatus est animus eorum, qui audi-

An semper captanda est Au-

ditorum benevolentia? dituri ſunt. *2do* Si ſit humile, quod negligitur ab Auditore, & non magnopere attendendum videtur. *3tio.* Si ſit anceps, in quo aut judicatio dubia eſt, aut cauſa & honeſtatis & turpitudinis particeps, quæ & benevolentiam pariat & offenſionem. *4to.* Si ſit obſcurum in quo aut tardi Auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa implicita eſt. In his igitur opus eſt inſinuatione, ſeu exquiſitiore quadam arte, qua Orator ſubdole quodammodo & latenter in Auditorum animos irrepat. Exemplis pleraque Ciceronis exordia, quemque erudient. Ceterum de captanda benevolentia, non multum laborandum eſt, in illis cauſis, quæ per ſe ſunt honeſtæ.

§. V.

De paranda Attentione & docilitate.

Unde conciliatur attentio? Attentio conciliatur partim promiſſione, partim petitione, Promiſſione quidem, ſi polliceamur nos eſſe dicturos de rebus vel novis, vel magnis, vel utilibus, vel jucundis. Ita Cicero pro Rabirio.

Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam, rem nullam magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, nec à Tribuno plebis ſuſceptam, neque à Conſule defenſam, neque ad Populum Romanum eſſe delatam &c.

Nolim tamen montes ut ajunt aureos in ipſo dicendi initio ſemper polliceatur Orator; imo ſi ſatis appareat, rem de qua agitur, eſſe aut communem, aut exilem & abje-

jectam; plus efficiet si rotunde statim & ingenue profiteatur se se in re omnino tenui laborare, quàm si grandia nequidquam polliceatur. Sic Cicero Philippica VII. *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur Patres Conscripti. de Appia via, & de moneta &c.* Hoc eodem artificio apud Quintilianum pauper quidam utitur, accusans Divitem, qui veneno per flores pauperis sparso apes ejus interemerat: *Unum*, inquit, *oro, ne cui minor dignitate vestra videatur causa litis meæ. Ante omnia enim non debetis expectare, uti pauper magna perdiderim: sed quantulum sit, quod abstulerit mihi dives, minus est, quod reliquit &c.*

Secunda conciliandæ attentionis ratio, est *petitio*. Cum scilicet Auditores rogamus, ut studiose ac diligenter velint attendere: sic Cicero pro Sexto Roscio. *Quapropter vos oro, atque obsecro Judices, attente bonaque cum venia verba mea audiatis.* Quamvis autem sub ipsum exordium postulari communiter soleat attentio; licebit tamen eandem in ipso etiam Orationis decursu interdum postulare, cum scilicet Auditoris animus initio arrectus, passim languescere incipit: Hoc egregie præstitit Tullius pro Cluentio:

Vos, quæso, ut adhuc me attente audistis, item quæ reliqua sunt audiatis. Profecto nihil à me dicetur, quod non dignum hoc conventu & silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.

Quomodo Commo- Tribus maxime rebus comparatur in Auditore docilitas.

 tmo.

Unde comparatur docilitas?

1mo. Si brevem te fore promittas, stesque promissis. Ut enim eleganter & ingeniose monet Tullius; multo satius est, ut Orator desinat, quàm si deficiat, & ut Auditor cum desiderio, quàm cum fastidio ac satietate recedat.

2do. Comparabitur docilitas, si dilucide simpliciterque proponas, qua de re dicturus sis. Ita Cicero pro Lege Manilia. *Dicendum est enim de Cn: Pompeji singulari eximiaque virtute.*

3tio. Fiet docilis Auditor, si tuam Orationem in duo, vel tria ad summum capita perspicue partiaris: ut cum ait Tullius Philippica VII. *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest: quæ tria dum explico, peto à vobis P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.*

Sed quoniam permagni interest ad eloquentiam quemadmodum proponat & orationem suam partiatur Orator, & quia hic locus est in Rhetorica longe difficillimus tyronibus præsertim, de utroque capite accuratius disseremus.

§. VI.

De Propositione.

Quid est propositio?

Propositio, est brevis dicendorum in Oratione enunciatio.

Quæ sunt Propositionis virtutes ac dotes?

Propositionis virtutes ac dotes quinque vulgo assignantur. Nempe: ut sit simplex, clara, copiosa, nova, & utilis.

Una

Una ſimplexque dicitur illa propoſitio, quæ conſtat una ſimplicique ſententia v. g. *Pax eſt conficienda.* Item hæc: *Injuriæ ſunt condonandæ.* Ex unitate Propoſitionis, omnino pendet unitas Orationis, ſemperque meminiſſe debet Orator eximii illius, nunquamque ſatis inculcandi Horatiani præcepti. *Denique ſit quodvis ſimplex duntaxat & unum.*

Quid eſt una ſimplexque Propoſitio?

Clara propoſitio eſt illa, quæ non modo nullo labore & induſtria adhibita intelligitur ab omnibus; ſed etiam ita proponitur, ut non poſſit non intelligi: quemadmodum eſt hæc: Otium eſt fugiendum.

Quæ Propoſitio clara?

Copioſa propoſitio illa eſt, quæ & amplam dicendi ſegetem ſuppeditat, & tractari ac ornari facile poteſt. Recte enim monet Horatius; ne jejunum dicendi ſumas argumentum; & quæ deſperas tractata niteſcere poſſe, relinquas.

Quæ Propoſitio copioſa?

Novitatem habebit propoſitio, ſi argumentum ita proponatur, ut ex trito vulgarique fiat inuſitatum, & auditorum animos ſtatim ac auditur ipſa novitate percellat. v. g. Tritæ ac vulgares ſunt iſtæ propoſitiones: *Homo multorum ſibi malorum auctor eſt. Mali aliquando ſunt utiles virtuti. Mors minus dura accidit miſeris, quam felicibus.* Fient vero novæ; & ſingulari quadam attentione dignæ, ſi primam ſic efferas. *Nemo læditur, niſi à ſe ipſo.* Secundam: *Virtutem plus interdum improbis debere, quàm probis.* Tertiam: *Felicitatis quoddam genus eſt, infelicem mori.*

Quæ Propoſitio nova?

Caveant tamen Tyrones, ne dum in pro-

positione novitatem aucupantur, in pueriles, ut sit ineptias, futiliaque paradoxa incidant; quemadmodum ille, qui novitatis illecebra male captus, hoc proposuit: *Divum Josephum toti Trinitati supparem esse* & alter, qui paupertatem & afflictationem, ipsa Paradisi gloria jucundiorem esse, probandum suscepit.

Quæ Propositio utilis?

Utilitatem habere solent propositiones illæ, quæ magis activæ sunt, quam contemplativæ. Porro contemplativæ dicuntur illæ, quæ in sola cogitatione versantur; quemadmodum ista: *Stultorum infinitus est numerus.* Activæ vero dicuntur illæ propositiones, quarum finis est aliquid efficere: v. g. *Ferenda sunt amicorum vitia.*

§. VII.

De Divisione.

Cur adhibetur in Oratione Divisio sive partitio?

Divisio sive partitio tribus potissimum de causis adhiberi solet in Oratione: *1mo.* Quia lumen affert Orationi; *2do* Quia juvat memoriam Oratoris & Auditorum. *3tio* Quia levat audiendi fastidium, recreatur enim animus admonitione singularum partium Orationis: quemadmodum viatorem reficiunt spatia, certis lapidibus & intervallis distincta.

Quæ sunt Divisionis leges sive dotes?

Leges Divisionis quatuor sunt præcipuæ: *1ma* Est: ut Divisio sit plena, hoc est, ut partes illius, sive membra, omnino complectantur & adæquent Propositionem, quæ dividitur. *2da.* Est, ut membra illa sint opposita, neque unum in altero contineatur. *3tia*

Ut

Ut diviſio habeat partes duas, treſve ad ſummum. Si enim nimium conciſa ſit, & ut loquitur Fabius nimium articuloſa, offundet orationi tenebras, parietque obſcuritatem illam, contra quam fuit inducta. *4ta* Ut ſit plana, ſimplex, & quaſi obvia; non vero ad artis & ingenii oſtentationem longius accerſita. Quatuor haſce dotes, & hanc præſertim poſtremam animadvertere facile potes in Orationibus Tullii, qui nullum in diviſionibus quærere ſolet Ornatum. Ut pro Lege Manilia: *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo eſſe dicendum. Et pro Quintio: Nego fuiſſe cauſam cur poſtularet, nego ex edicto poſſidere potuiſſe: nego poſſediſſe. Hæc tria dum dixero, peroxabo.*

Ex his quæ hucuſque de Exordio & Propoſitione dicta ſunt, facile vel ipſi advertent Tyrones, quod ille, qui velit recte aliquid ſolideque ſcribere, aut dicere, neceſſario debeat imprimis propoſitionem concipere; de hac concepta continuo cogitare, ut illam exponat, explicet, probet, ab ea in decurſu non recedat, vel paululum digreſſus, ad eandem redeat, eam pro ſcopo reliquæ Orationis in quem omnia argumenta colliment, habeat. Et quemadmodum in exordiendo cogitandum eſt, quatenus exordium naturale & proprium ſit Propoſitioni; ita æque curandum eſt, ut propoſitio, naturaliter & eleganter ex Exordio media quadam, prudenti, & induſtria tranſitione effluat. Porro Propoſitio aut verbis expreſſis enunciatur, qualia ſunt: *Tractabo de hac vel illa re; oſtendam*

hoc

hoc vel illud; Hoc erit Orationis argumentum. Ita judico, ita ſentio, ita ſtatuo. Et ſimilibus. Aut abſque ejusmodi aperta enunciatione, ita res ipſa proponitur, ut facile Auditor intelligat hac de re Oratorem acturum. Prioris modi exemplum capere potes ex hac Oratione Terentii; qui accuſatus apud Tacitum de amicitia cum Sejano infelici Miniſtro Tiberii Cæſaris, ſic imprimis exorditur. *Fortunæ quidem meæ fortaſſe minus expediet, agnoſcere crimen quàm abnuere . . .* Deinde ſic ad Propoſitionem deſcendit: *Sed utcunque caſura res eſt, fatebor: Et fuiſſe me Sejano amicum, & ut eſſem expetiiſſe, & poſtquam adeptus eram, lætatum &c.*

Poſterioris exemplum habes in Plinio, ubi Legati Manlii ſeditione ſe ſe purgaturi, ſic incipiunt. *Deos, hominesque teſtamur, Imperator, nos arma neque contra Patriam cæpiſſe, neque, quo periculum aliis faceremus: ſed uti corpora noſtra ab injuria tuta forent, qui miſeri, egentes, violentia atque crudelitate fæneratorum, plerique Patria, ſed omnes fama atque fortunis extorres ſumus. &c.* Hic quivis videt facile, quæ ſit in iſta oratione propoſitio.

Generatim dicendo quocumque demum modo Propoſitiones efferantur; ſemper debent eſſe planiſſimæ, clariſſimæ, intellectu perfaciles; verbis, quàm fieri poteſt perpaucis propriiſque conſtare. Vitanda eſt in illis omnis affectata ſublimitas ac obſcuritas, omnes allegoriæ & Antonomaſiæ pueriles. Id & omnia Ciceronis præcepta docent, & omnes Ejuſdem Propoſitiones probant, & convincunt.

CAPUT II.

De Narratione.

Narratio Oratoria definitur à Cicerone: rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes ac fundamentum conſtituendæ fidei. *Quid eſt Narratio?*

Quintilianus *Lib: 4. Cap: 2.* Duplicem eſſe tradit: Unam ipſius cauſæ; Alteram rerum ad cauſam pertinentium. Narratio cauſæ, ſeu expoſitio rei de qua ſtatus eſt, fit ſimpliciter, ſine arte & amplificatione. Ut eſt hæc Miloniana. *Milo autem cum in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit; calceos & veſtimenta mutavit, pauliſper dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt &c.* Narratio vero rerum, quæ pertinent ad cauſam, fit ornate & copioſe; habetque ſæpe probationis vim. Ut eſt eadem Miloniana ab illo loco. *Obviam fit ei Clodius.* uſque ad finem. Similis eſt Narratio pro Lege Manilia. Simplex nimirum de genere & magnitudine belli. Ornata & copioſa de deligendo Imperatore. *Quotuplex Narratio Oratoria?*

§. I.

De Virtutibus Narrationis.

Quotnam ſunt virtutes ſive dotes narrationis?

Narrationis dotes, quatuor à Tullio recenſentur: Perſpicuitas, probabilitas brevitas, & ſvavitas.

Quomodo fiet

Narratio perſpicua fiet *1mo* Si temporum ſervetur ordo adeo, ut quod primum geſtum eſt,

perspicua Narratio? est, primum etiam referatur. *2do* Si verbis propriis & usitatis utamur. *3tio* Si rēs non interrupte narretur. *4to* Denique, si diligenter vitetur omnis verborum ambiguitas, qualis esset ista: *Ajunt Regem Pyrrum Romanos vicisse.* Ex qua quis Victor, quis Victus sit? nemo intelliget. Quantum porro eniti ac contendere debeat Orator, ut perspicue narret & aperte, facile intelligere poterit ex aureo illo Quintiliani præcepto: *Prima sit Orationis virtus perspicuitas..... Dilucida & negligenter quoque audientibus aperta sit... ut in animum tanquam sol in oculos, etiamsi non intendatur, incurrat. Quare non ut intelligere possit Auditor, sed ne omnino possit non intelligere, curandum.*

Ita Cicero Catilinaria III. Nro 3. Utitur aperta Narratione atque dilucida, rebus, personis, temporibus, locis distincta.

§. II.

De probabilitate Narrationis.

Quomodo fiet probabilis Narratio? Probabilis fiet narratio *1mo* Si is, qui narrat sit notæ probitatis & fidei. *2do* Si rei gestæ seriem exponat sine fuco; qua simplicitate nimirum atque candore plus longe valebit ad persvadendum, quam calamistris, lenociniis, & hyperbole. *3tio* Si nihil adferat fidei absonum; & quod abhorreat à communi hominum sensu. Quodsi forte rei veræ sed incredibili fidem facere velis, usurpare poteris sapiens illud cujusdam Veteris Authoris dictum: *Multa esse vera, quæ tamen non sunt veri similia, & probabile*

bile omnino esse, quam plurima contra probabilitatem contingere. 4to Denique si clare aperteque exponas rerum circumstantias & adjuncta personarum, locorum ac temporum, unde vel maxime pendet facti probabilitas. Ita Cicero pro Roscio Amerino: Nro 39. *Patrem occidit Roscius, qui homo? Adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta, vetus videlicet sicarius, homo audax, & saepe caede versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem, & aeris alieni magnitudo & indomita animi cupiditas ad hoc scelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse; Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui, ut ipse Accusator objecit, ruri semper habitarit & in agro colendo vixerit, quae vita maxime disjuncta à cupiditate & cum officio conjuncta.* In quo exemplo videre est, quantam faciunt probabilitatem adjuncta. Personarum, temporis, aetatis ac loci. Similia exempla habes. Pro Quintio Nro 11. Pro Archia Poeta. Pro Flacco Nro 21. & pro Milone Numero 25, 45, 54, 57. Docet praeterea Quintilianus. Lib: 1. Cap: 1. Ut credibilior fiat narratio, semina quaedam probationum spargere, verum sic, ut narrationem esse meminerimus, non probationem ac proinde argumenta probationis adhibenda esse simplicissima & brevissima. Ut si narrares aliquem oblato sibi à quopiam veneno periisse: dicere posses. *Sanus bibit, statim concidit, livor ac tumor confestim est insecutus &c.*

§. III.

§. III.

De brevitate Narrationis.

Quid facto opus est, ut brevis sit Narratio?

Narratio brevis erit: Si *1mo* narrandi initium altius, & ab ævo ut ajunt non repetas, quemadmodum ineptus ille, quem ridet Horatius: *Qui gemino bellum Trojanum orditur ab ævo. 2do* Si inutiles circumstantias, quæ nihil faciant ad rem in narrationem non infarcias. Qualis esset hæc: *In portum veni, navem paratam aspexi, de pretio conveni, sublatæ sunt Anchoræ, è portu solvi* satis enim erat dixisse *è portu solvi*, reliqua nec cognitioni nec utilitati serviunt.

Vide tamen ne cum Horatio dum brevis esse laboras obscurus fias, aut aliquid eorum, quæ rem præcesserunt, quæ comitata, quæ subsecuta sunt omittas. Ac proinde observandum est illud Fabii monitum. *Vitanda*, inquit ille, *est illa Sallustiana brevitas, & abruptum orationis genus;. . . . Narratio undique præcisa, non tam narratio vocari potest, quam confusio*. Et illud Quintiliani: *Non tamen inornata debet esse brevitas, alioquin fit indocta.*

Pro exemplo sit Narratio Philipp: IV. Nro 3. *Cæsar adolescens, pene potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum cum maxime furor arderet Antonii, cumque ille á Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec opinantibus quidem nobis: quod fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum invi-*

invicto genere veteranorum militum, comparavit, patrimoniumque suum effudit; quamquam non sumus usi eo verbo, quo decuit, non enim effudit, sed in salute Reipublicæ collocavit. In quo exemplo vides brevitatem pulcherrimo cum ornatu conjunctam. Simile exemplum vide Verrina III. Nro 66 ab his verbis *Invitantur, mature veniunt.* Item Philipp: XIII. Nro 3. ab his verbis *Hoc vero quid est?*

§. IV.

De suavitate Narrationis.

Suavis reddetur narratio *1mo* Si efferatur verbis leniter & numerose sonantibus. *2do* Si adhibeantur certæ quædam narrandi formulæ Tullio perfamiliares: cum v. g. pro tempore præterito, præsens usurpatur, cum plures infinitivi, subaudito verbo subjunguntur ut cum ait: *Rex primum nihil metuere, nihil suspicari, dies unus & alter intercedere.* Item cum stylus Narrationis fit per incisa & non per periodos; cum non eodem tenore, sed parva presse, magna subtiliter, atrocia invidiose, tristia miserabiliter, læta jucunde efferuntur, quo fit ut variatio sermonis effugiat tædium, & sine satietate delectet. *3tio* Si quæ narramus sint magna, nova, & inexpectata, hoc est: si narratio habeat admirationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, ut dolorem, lætitiam, metum, cupiditatem &c. *5to* Si diversis (de quibus in sequenti Libro) figuris illuminetur; harum præcipuæ sunt: Hypoty-

Quaratione suavis redditur narratio?

po-

posis suspensio sive sustentatio, Exclamatio, & communicatio: En earum exempla:

1mo. Narratio hystorica per hypotyposim, ex Livii Lib: 1.

Horatiorum pugna cum Curiatiis.

„ Datur signum, infestisque armis velut „ acies terni juvenes magnorum exercitu„ um animos gerentes concurrunt. Nec „ his nec illis periculum suum, sed publi„ cum imperium servitiumque obversatur „ animo, futuraque ea deinde Patriæ fortu„ na, quam ipsi fecissent. Ut primo statim „ concursu increpuere arma, micantesque „ fulsere gladii, horror ingens spectantes „ perstringit, & neutro inclinata spe, tor„ pebat vox spiritusque. Consertis deinde „ manibus, cum jam non motus tantum cor„ porum, agitatioque anceps telorum armo„ rumque, sed vulnera quoque & sanguis „ spectaculo essent, duo Romani super ali„ um alius, vulneratis tribus Albanis, ex„ pirantes corruerunt. Ad quorum casum „ cum clamasset gaudio Albanus Exercitus, „ Romanas legiones jam spes tota, nondum „ tamen cura deseruerat, exanimes vice „ unius, quem tres Curiatii circumsteterant. „ Forte is integer fuit, ut universis solus „ nequaquam par, sic adversus singulos fe„ rox. Ergo ut segregaret pugnam eorum, „ capessit fugam, ita ratus secuturos, ut „ quemque vulnere affectum corpus sine„ ret. Jam aliquantum spatii, ex eo loco, „ ubi pugnatum est, aufugerat, quum respi„ ciens videt magnis intervallis sequentes; unum

„ unum haud procul ab ſeſe abeſſe ; in „ eum magno impetu redit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem „ ferant fratri, jam Horatius cæſo hoſte victor ſecundam pugnam petebat; tum clamore, qualis ex inſperato faventium ſolet, Romani adjuvant militem ſuum; & „ ille defungi prælio feſtinat. Prius itaque „ quàm alter, qui nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit. Jamque æquato Marte ſinguli ſuperant, ſed nec ſpe, nec viribus pares; „ alterum, intactum ferro corpus & geminata victoria, ferocem in certamen tertium dabant: alter feſſum vulnere, feſſum „ curſu trahens corpus, victuſque fratrum „ ante ſe ſtrage, victori objicitur hoſti; nec „ illud prælium fuit. Romanus exultans, „ duos, inquit, fratrum Manibus dedi, tertium, cauſæ belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male ſuſtinenti arma, gladium ſuperne jugulo defigit: jacentem ſpoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt, eo majore cum „ gaudio, quo prope metum res fuerat.

Vide, quam vivis, ſpirantibuſque, ut ita loquar coloribus hæc narratio pingitur, magiſque ſpectari & oculis quaſi ſubjici, quàm audiri vel legi videtur.

Narrationis Oratoriæ per hypotypoſim invenies exemplum Verrina VII. Nro 160. & 161. *Cædebatur virgis &c.* Item Tuſculanorum Lib: 5. De Damocle Dionyſii Siracuſarum Tyranni Paraſito pulcherrimam leges narrationem hiſtoricam. *Cum quidam ex aſſentatoribus Damocles &c.* ado

2do Usurpatur plerumque in narrationibus suspensio, sive sustentatio, qua Orator ad sibi conciliandam attentionem, & ad excitandos auditorum animos, illos tenet aliquandiu suspensos & incertos, quid dicturus sit. Ita Cicero Verrina VII. Nro 10 *Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum sit? ... Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam? Nolite usque quaque eadem quærere... Expectate facinus, quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium &c.*

3tio Interciduntur sæpe Narrationes exclamationibus ad motum vehementissimis. Illustris est illa pro Cluentio Nro 15. De Sassia Matre, ubi Cicero inter narrationem hæc interserit: *O Mulieris scelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! o libidinem effrænatam & indomitam! o Audaciam singularem! non timuisse si minus vim Deorum hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque illas nuptiales, non limen cubiculi? non parietes denique ipsos superiorum testes nuptiarum? Perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore; vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia &c.*

4to. Valet denique plurimum in amplificandis & ornandis Narrationibus Communicatio, qua Orator causæ suæ confidens deliberat cum illis ipsis, apud quos, vel contra quos dicturus est, illos nimirum consulens quid acturus sit, vel etiam quid ipsimet in simili causa essent acturi Ita Cicero Verrina VII. Nro 15. per summam fiduciam vi-

de-

detur consilia sua communicare cum Adversario suo Verre, illumque quasi consulere in hunc modum: *Si tu apud Persas aut in extrema India deprehensus Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te civem esse Romanum? & si tibi ignoto apud ignotos, apud Barbaros, apud homines in extremis atque ultimis gentibus positos, nobile & illustre apud omnes nomen tuæ Civitatis profuisset; Ille, quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum Civem se Romanum esse diceret, apud te Prætorem, si non effugium, ne moram quidem mortis, mentione atque usurpatione Civitatis assequi potuit.* Simile exemplum vide pro Cluentio Nro 51. *Si de prædiis tuis ageretur &c.*

Quotuplex est Narrationis genus?

Narrationis genus triplex est: alia est enim Narratio Poetica, alia Historica, alia Civilis & Oratoria. Narratio Poetica rem fictam exponit; Historica rem gestam. Civilis & Oratoria rem exponit, quæ quandoque in controversiam adducitur.

Quod discrimen intercedit inter hæc tria Narrationis genera?

Inter tria hæc Narrationis genera, hoc primum intercedit discrimen: quod Historicus & Orator, ordinem temporis, & rei gestæ seriem in narrando sequantur & servent, contra, quàm facit Poeta, qui etiam à fine, aut à medio rem solet ordiri. *2do* Quod Historicus veritatem consectetur, Orator veri similitudinem, Poeta vero commentitiis etiam fabulis veritatem aspergat. *3tio* Quod Historica Narratio sit ferme simplex, brevis ac nuda; Oratoria sit ornatior & fusior. Poetica vero ornamentis abundet

& omni-

& omnibus artis coloribus picta sit atque polita.

Quando & quo Narrationis genere uti debet Orator? In genere Judiciali, opus est semper Narratione historica; Similiter in genere demonstrativo utendum est frequenter Narrationibus historicis, verum curandum, ne exili filo sed ornate & magnifice pertexantur. In genere vero Deliberativo, ordinarie locum habent Narrationes Oratoriæ, & plerumque eorum vices obit ipsa generalis propositio.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

Quid est Confirmatio? Confirmatio est illa pars Orationis, in qua firmamenta seu robora causæ afferuntur.

Quot sunt partes Confirmationis? Confirmationis partes duæ sunt: *1ma* Est Confirmatio proprie dicta, in qua ea, quæ pro nobis sunt, firmamus ac stabilimus. *2da* Est Confutatio, in qua contrarias Adversariorum rationes refellimus. Hinc liquet Confirmationem esse præcipuam ac potissimam Orationis partem, totamque persvadendi spem in ea unice sitam esse. Unde etiam Confirmatio ab Aristotele *fides* nuncupatur.

Quomodo tractanda est Confirmatio? Confirmatio tractatur per Argumenta, & argumentationes. Est autem Argumentum probabile inventum ad faciendam fidem. Argumentatio vero, est fusior & artificiosa ipsius argumenti dilatatio.

Unde petuntur argu- Argumenta sive rationes, quibus Orator propositionem suam confirmat, petuntur à lo-

menta ad confirmandum idonea?

locis Oratoriis tum intrinſecis, tum extrinſecis, de quibus dictum eſt à nobis Libr: 1.

Argumenta firmiora partim in principio collocanda ſunt, quia tunc vel maxime attendit Auditor; partim in fine, quia quæ poſtremo dicuntur altius inhærent; imbecilliora vero collocanda ſunt in medio; ut ita magis eorum lateat infirmitas.

Quo ordine collocanda ſunt argumenta in confirmatione?

Quatuor ſunt præcipuæ argumentationum ſpecies, ſeu modi quibus tractari ſolent Argumenta. Scilicet: *Syllogiſmus ſeu ratiocinatio. Enthymema, Inductio, Dilemma.* His adde Soritem & Epicherema.

Quot ſunt argumentationum ſpecies?

§. I.

De Syllogiſmo.

Syllogiſmus eſt argumentatio ex duabus propoſitionibus concluſionem neceſſario inferens v. g. *Omnis ars honeſta eſt amplectenda; Rhetorica eſt ars honeſta; Ergo Rhetorica eſt amplectenda.*

Quid eſt Syllogiſmus ſeu Ratiocinatio?

Prima Syllogiſmi propoſitio dicitur Major, ſeu ſimpliciter propoſitio; quoniam id proponit, in quo eſt vis ad probandum. Talis eſt in adducto ſyllogiſmo hæc: *Omnis ars honeſta eſt amplectenda.*

Secunda vocatur minor, ſeu aſſumptio, quia aliquid aſſumit ex prima ad probandam concluſionem; talis eſt hæc altera in eodem ſyllogiſmo. *Rhetorica eſt ars honeſta,* aſſumit enim ex Majore: *eſt ars honeſta.*

Concluſio ſeu complexio eſt ipſa quæſtio illata ex ſuperioribus ſcilicet Majore & minore. Ut hæc: Ergo Rhetorica eſt amplectenda.

Quotuplex est syllogismus? Syllogismus duplex distinguitur, alius Philosophicus, alius Oratorius. Syllogismus Philosophicus est argumentatio constans tribus propositionibus distinctis & explicatis, quæ sic inter se connectuntur, ut concessis duabus primis nempe majore & minore, necessario concedenda sit tertia quæ consequentia dicitur v. g. *Sapiens est ille qui sapienter loquitur, & sapienter tacet. Sed qui tacenda loquitur, & dicenda tacet, neque loquitur neque tacet sapienter. Ergo sapiens non est.*

Syllogismus Oratorius est Ratiocinatio constans quinque partibus certo inter se ordine connexis, quas ita recenset Tullius Libr: I. de Inventione Nro 67. *Quinque sunt igitur partes ejus argumentationis, quæ per Ratiocinationem tractatur. Propositio, per quam breviter locus is exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis. Propositionis approbatio, per quam id, quod breviter expositum est, rationibus affirmatum, probabilius & apertius sit. Assumptio, per quam id, quod ex Propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. Assumptionis probatio, per quam id, quod assumptum est, rationibus probatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur.*

Hæc sunt igitur Syllogismi Oratorii partes. *1ma* Propositio. *2da* Propositionis probatio. *3tia* Assumptio. *4ta* Assumptionis probatio. *5ta* Complexio sive Conclusio. En insigne hujus argumentationis exemplum ex eodem Libro Ciceronis.

Me-

Melius accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur — *Propositio?*

Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus instructior est rebus & apparatior, quàm ea quæ temere & nullo consilio administratur. Exercitus is, cui præpositus est sapiens & callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia & temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est, nam navis optime cursum conficit ea, quæ scientissimo gubernatore utitur. — *Propositionis probatio?*

Nihil autem omnium rerum melius, quam mundus administratur. — *Assumptio?*

Nam & signorum ortus & obitus, definitum quemdam ordinem servant, & annuæ commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem modo fiunt: verum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accomodatæ, & diurnæ nocturnæque vicissitudines, nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt. — *Assumptionis probatio?*

Quæ signa sunt omnia, non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. — *Complexio sive Conclusio?*

En quam copiose Cicero pertractat, quod Philosophus jejune in hunc fere modum dixisset!

Illud Divina providentia administratur, quod optime administratur. Sed Mundus optime administratur. Ergo Mundus Divina providentia administratur.

Alind exemplum dabit Oratio pro Lege Manilia Nro 47. ubi hanc Philosophicam

argumentationem. *In deligendo Imperatore non bellicæ tantum virtutis, sed etiam felicitatis ipsius ratio habenda est. Sed Pompejus bellicam virtutem cum felicitate consociat. Ergo Pompejus est Imperator deligendus.* Ita Cicero conficit Ratiocinatione Oratoria:

Propositio? *Ego sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata, atque exercitus fuisse commissos.*

Propositionis probatio? *Fuit enim profecto quibusdam summis Viris quædam ad amplitudinem & gloriam & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna.*

Assumptio? *De hujus autem hominis felicitate qua de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed, ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa Diis immortalibus oratio nostra aut ingrata videatur.*

Assumptionis probatio? *Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terra marique, quantaque felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modo Cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare; quot, & quantas Dii immortales ad Cn: Pompejum detulerunt.*

Qua-

Quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum & datum est, in Rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis. *Com-plexio?*

Similiter in Miloniana hoc instituit argumentum, quod ratiocinatione perfecta dilatat atque exornat: *Licet occidere insidiatorem; Clodius fuit insidiator. Ergo licuit Clodium occidere.*

Nam Propositionem: *Licet occidere insidiatorem* primum exponit eandemque probat multis exemplis à Nro 7. ad 23.

Deinde dilabitur ad Assumptionem; nempe: *Clodius fuit insidiator.* Cujus probationem affert in tota cædis narratione, quam ita comparat atque instruit ut ex singulis rerum adjunctis appareat Clodium fuisse insidiatorem. à Nro 24. ad Nrum 32.

Sequitur Complexio, qua concludit jure Clodium occisum fuisse

Atque tria hæc Ciceronianæ argumentationis exempla ut exactam & perfectam ad traditas supra leges Ratiocinationem referunt, sic expeditam ad similes alias conficiendas monstrant viam.

Syllogismum Oratorium nequaquam necesse est, semper quinque constare partibus. Si enim perspicua est vel Propositio vel assumptio; tunc illius probatio omittitur. Ita *An semper quinque il-*

Ci-

lis partibus constare debet Syllogismus Oratorius? Cicero Philippica VII. Nro 9. Qua pacem cum Antonio nullam esse posse disputat; hanc ponit Propositionem. Nulla pax turpis Populo Romano cum ullo mortalium esse debet, cui propositioni, utpote per se notæ, nullam probationem subjicit; sed statim ad assumptionem descendit: at cum Antonio pax nulla, nisi turpis esse potest; hancque pluribus probat Nro 10. 13. 14 Tandem concludit alienos ab hac pace omnium animos esse oportere.

Semper ne positus partium Ordo in syllogismo servandus? Philosophus semper tres Syllogismi Propositiones eo ordine collocat, ut primum semper locum Major, Minor alterum, tertium Conclusio occupet, eumque ordinem formam appellat. Oratoris autem plerumque in eo posita est industria, ut eum ordinem invertat, tum ut artem suam tegat, tum ut continuam argumentationis similitudinem, quæ satietatis mater est evitet. Quemadmodum dicit Cicero Libro 2. De Oratore: *Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate* Integrum itaque erit Oratori, primo loco assumptionem & ipsius probationem; tum Propositionem cum sua probatione in argumentatione collocare; aut etiam à probatione vel Propositionis vel assumptionis, imo etiam ab ipsa complexione initium argumentationis sumere. Sic Cicero defensurus Roscium Amerinum hunc fere syllogismum conceperat:

Propositio? *Quicunque parricidii suspectus est, is audacissimus, sceleratissimusque sit oportet.* Probatio Propositionis. *Est enim hoc crimen a-*

nor-

norme, tum testimonio naturæ, tum præjudicio judicum & decretis suppliciis

Hujus notæ non est Roscius Amerinus. *Assumptio?*
Probatio Assumptionis *non enim est audax, non luxuriosus, non avarus.* *ptio?*

Ergo non est de parricidio suspectus. *Complexio?*

Verum in dispositione & elocutione hujus argumenti à probatione Propositionis orditur hoc modo.

Occidisse Patrem Sex: Roscius arguitur. Scelestum Dii immortales! ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Etenim si vultu sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit Parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet jura Divina atque humana cogebant. *Probatio Propositionis?*

Deinde ponit Propositionem.

In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro extitit, ut si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeratur; quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? nonne & audaciam ejus qui in crimen vocatur singularem ostendere; mores feros immanemque naturam, & vitam vitiis flagitiisque deditam & denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? *Propositio?*

Quorum tu nihil in Sex: Roscium, ne objiciendi quidem causa contulisti. *Assumptio?*

Patrem occidit Sextus Roscius. Qui homo? Vide reliqua Capite II. §. II. hujus Libri. *Probatio assumptionis?*

Quæ

Complexio? *Quæ res igitur tantum istum furorem Sexto Roscio objecit.*

Exemplum secundum suppeditat Catilinaria I. Ubi Cicero hanc argumentationem proponit:

Omnis perniciosus Civis occidendus est; nam exempla majorum hoc probant. Sed Catilina est perniciosus Civis; nam est conjurator. Ergo Catilina jure occidendus est.

Sic vero in Elocutione ordinem invertit, & incipit à probatione minoris sive assumptionis. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? . . . Patere tua consilia non sentis? . . Quid proxima quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris? &c.* Tum statim infert complexionem *Ad mortem te Catilina jam pridem duci oportebat &c.* Denique inferius subjungit majorem sive Propositionem: *Fuit, fuit quondam illa virtus, ut Majores nostri, suppliciis acrioribus perniciosum Civem, quàm hostem coercerent.*

Plura ejusmodi artificiosæ immutationis exempla in plurimis Tullii orationibus invenies; hoc in universim observa: Quo cautius turbatur ordo argumentationis; eo tutior erit usus artificii.

§. II.

De Enthymemate.

Quid est Enthymema? Enthymema est ratiocinatio imperfecta, cui deest alterutra ex primis propositionibus Syllogismi.

En-

Enthymema duas habet partes, quarum una vocatur Antecedens; altera Consequens. v. g. *Omnes artes sunt expetendæ, Ergo Eloquentia est expetenda.* *Quomodo fit Enthymema?*

Fit Enthymema omittendo vel Propositionem vel assumptionem. Sive, ut Logici loquuntur, omittendo majorem vel minorem, sic in dicto exemplo omissa est minor: nempe hæc: *Sed Eloquentia est Ars* Hanc si restitueris, ex imperfecta Ratiocinatione perfectam efficies, scilicet: *Omnes Artes sunt expetendæ, sed Eloquentia est ars; Ergo est expetenda.*

Ratio tractandi Enthymematis duplex est: *Quæ nam est ratio tractandi Enthymematis?* Ima Si contrahantur duæ partes in unam. Habes hujus exemplum pro Milone Nro 41. Ubi duas partes hujus Enthymematis: Milo non voluit occidere Clodium, cum potuit id impune facere: Ergo non est credendus id voluisse, cum exequi sine summo suo periculo non potuit. Cicero sic contrahit in unum: *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere?*

Altera ratio tractandi Enthymematis est, si utraque ejus pars fusius explicetur. Sic Cicero pro eodem Milone Utramque hujus Enthymematis partem: Nolletis Clodium vivere; Ergo non debetis eum afficere pæna qui Clodium occidit, sic fusius explicat Nro 79. *Quonam modo vos ille vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid*

si ipse

si ipse Cn. Pompejus, qui ea virtute ac sapientia est, ut ea potuerit semper, quæ nemo præter illum, si is inquam potuisset, ut de Clodii morte quæstionem ferre, sic eum ab inferis excitare? utrum putatis facturum fuisse? Etiamsi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare; propter Rempublicam non fecisset. Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse; nolletis. Et de ejus nece lata quæstio est, qui, si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.....

Cur Enthymemate sæpius utuntur Oratores, quam Syllogismo?

Tribus potissimum de causis Enthymemate sæpius utuntur Oratores, quam Syllogismo. *1ma.* Est ut occultent artificium. *2do* Ut ne in locis communibus nimium vagetur Orator; utpote cum unius tantum antecedentis probationes in Enthymemate adferantur. *3tia* Ut validius percellant Adversarios, illosque punctim ut ajunt, cæsimque feriant. Unde etiam Enthymema *Jaculum ac telum* Oratoris vocari solet. Vide quomodo Tullius Enthymemate feriat Antonium Philippica V Nro 3.

Pacem vult Antonius? Arma ponat, roget, deprecetur; neminem æquiorem me reperiet... Nihil est profecto quod dari possit bellum gerenti, erit fortasse aliquid quod concedi possit roganti. Quasi diceret: Non arma ponit Antonius; Ergo non vult pacem.

§. II.

De Inductione.

Quid est Inductio?

Inductio est argumentatio, qua ex multis singularibus enumeratis; Propositio universalis infertur. Sic

Sic Seneca magnifica variarum rerum enumeratione, concludit solam in homine virtutem esse laudandam: *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, sed quæ stabilis est, firma, velox, & consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit quæritur. Ergo in homine quoque, nihil ad rem pertinet quantum aret, à quàm multis salutetur; sed quàm bonus sit.*

Ratio tractandæ inductionis triplex est. *Quænam est ratio tractandæ inductionis?* *1mo* Fit inductio enumeratione partium sub uno genere. v. g. Prudentia, justitia, fortitudo, temperantia laudanda est. Ergo omnis virtus est laudanda.

2do. Fit Inductio plurium similitudinum seu comparationum congestione. Sic Cicero dum probare conatur: *Ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes esse accomodandas.* Plurima recenset, tum ex veteribus petita, ut Scipionem Africanum, in quo nova multa constituta fuerant, tum ex recentioribus ut Marium; Deinde quæ in ipso Pompejo constituta sunt, ut concludat à similibus & comparationibus contra Catullum pro Lege Manilia Nro 61. *In ipso Cn. Pompejo, in quo novi nihil constitui vult Q. Catullus, quam multa sunt nova, summaque Catulli voluntate constituta, recordamini. Quid tam novum, quàm Adolescentulum privatum, exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit; huic præesse? præfuit;*

rem

rem optime ductu suo gerere? gessit; Quid tam præter consvetudinem, quam homini per-adolescenti, cujus à Senatorio gradu ætas longe abesset, Imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his Provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute, bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. In quo exemplo observa, (quod ab omnibus commendatur;) Optimum esse illud Inductionis genus; quod per vibratas interrogationes & Antitheta tractatur.

3tio Fit inductio per Congeriem plurium exemplorum, ut Cicero eleganter Paradoxo I. *Romulus fratrem secum regnantem ferre non potuit, neque Pompejus Cæsarem, nec Augustus Antonium. Ergo nullus æquo animo fert consortem Imperii.*

Fit etiam Inductio, cum ab uno simili ducitur argumentum ad aliud; verum hæc est inductio imperfecta, vocarique solet Exemplum. Cujusmodi habes in Miloniana, ubi probat Tullius: non esse condemnandum Milonem, quod Clodium occiderit; cum nec Horatius ob sororem necatam fuerit condemnatus. Sic autem exemplum hoc illustrat: *Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem esse occisum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera Civitate, tamen Populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur.*

§. IV.

§. IV.

De Dilemmate.

Dilemma eſt argumentum conſtans duabus partibus quæ utrimque adverſarium capiunt. Sic Medea Creonti. *Si judicas? cognoſce, ſi regnas? jube.* Pulcherrimum eſt illud Dilemma: quo Tertullianus purgat Chriſtianos, & incuſat Trajanum, qui illos conquiri vetuerat, oblatos vero puniri juſſerat: *Quid eſt Dilemma?*

Negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit, & ſævit, diſſimulat & animadvertit. Quid temetipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & abſolvis?

Duplex eſt ratio tractandi Dilemmatis prima, cum utraque ejus propoſitio nude & ſine ullo ornatu effertur. Tale eſt illud Ciceronis Philip: V. Nro 15. *Legatos decernitis? Si ut deprecentur? contemnet: Si ut imperetis? non audiet* *Quænam eſt ratio tractandi Dilemmatis?*

Altera ratio tractandi dilemmatis, cum amplificatione figurata utraque illius pars exornatur.

Sic Cicero Verrina I. probat Cæcilium non eſſe idoneum Verris accuſatorem hoc dilemmate: Nro 31. *Tu Cæcili, quid facies? utrum hoc tantum crimen prætermittes? an objicies? ſi objicies, id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore, in eadem Provincia tu ipſe feciſti? Audebis ita accuſare alterum, ut quominus tute condemnere, recuſare non poſſis? Sin prætermittes, qualis erit*

iſta tua accuſatio, quæ domeſtici periculi metu, certiſſimi & maximi criminis non modo ſuſpicionem, verum etiam mentionem pertimeſcat?

Plura hujuſmodi dilemmata invenies Philip: II. Nro 31. Verrina IV. Nro 155. In Piſon: Nro 56. Pro Corn: Balb: Nro 13.

Qua ratione ſolvi poteſt Dilemma? Duplici ratione ſolvitur dilemma. *Imo* Si totum Dilemma retorqueas in adverſarium. Tale eſt celeberrimum illud Protagoræ Rhetoris cum ſuo verſipelli diſcipulo, in Areopago contendentis. Cum enim ſe illius diſciplinæ quidam adoleſcens tradidiſſet grandemque pecuniæ ſummam illi ex pactione fuiſſet pollicitus ea lege, ut primam omnium, quam eſſet habiturus, litem obtineret: Diſcipulus plane ac perfecte præceptis artis eruditus, mercedem Magiſtro omnino negat. Litem itaque ei ſic intendit Magiſter.

Debes, inquit, omnino mercedem, quo res cunque vertant. Si enim vicero? debes ut condemnatus. Si viceris? debes ex pacto. Dilemma hoc ita invertit Diſcipulus verſipellis: *Imo, inquit, quo reſcunque vertant, nihil habebis. Si enim cauſam vicero? ex judicum ſententia nihil debeo, ſi vero cauſa cado? jam tibi ex pactis debeo nihil.*

Altera ratio diluendi dilemmatis eſt, cum aut una duntaxat illius pars infirmatur; aut oſtenditur aliquid medium inter duas illius propoſitiones intercedere. Sic cum ſervus quidam, ab hero ſuo percuſſus, hoc illum repentino dilemmate petiiſſet:

Si ſum improbus? cur mea uteris opera? Si probus cur aut quorſum tandem me percu-

cutis. Hujus alteram partem sic diluit Herus. *Non te percutio quia probus es; sed ut ex improbo fias aliquando probus.*

Similiter in hoc Dilemmate Ciceronis: *Mortem non esse timendam ex eo, quod animus vel pereat cum corpore, vel post mortem æternum beatus est futurus*. Ostendere poteris, intercedere medium, nempe: Animum post mortem corporis posse esse perpetuo infelicem & miserum.

§. V.

De Sorite & Epicheremate.

Sorites est series & veluti catena multarum propositionum, ex quibus gradatim & acervatim collectis, eruitur aliqua conclusio. Ita Cicero per Soritem probat id solum esse bonum, quod est honestum Quæstionum Tuscula: Lib: V. Nro 45. *Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe approbandum: quod vero approbaris, id gratum acceptumque habendum; ergo etiam & dignitas ei tribuenda est; quod si ita est, laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile est; ex quo efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.* *Quid est Sorites?*

Nota: hoc argumentandi genus plurimum valet ad amplificationem Conclusionum; si rebus antea probatis, in unam veluti catenam multæ argumentationes coacervantur. Exemplum in quo te exerceas, sit sequens: *Prodigis juvenibus Curatores dandi sunt à Principe, nam prodigentia ipsorum maximo*

est

eſt damno humanæ ſocietati. Ad quod probandum has poteris coacervare Propoſitiones: Propoſitio *1ma* Juvenes in libertatem emancipati, ſuique juris domini facti, prudentiâ, quæ ſeris nonniſi annis venit, carent, in vitia proni ſunt, adulatoribus & paraſitis ſtipantur, eiſque ſe totos dedunt. *2da* Hi adulatores perſvadent juvenibus eos eſſe opulentos & divites, ac proinde lautiſſime illis eſſe vivendum. *3tia* Sic perſvaſi juvenes, Conviviis, voluptatibus, luxui veſtium, ludis, equis, canibus indulgendo, pecuniam prodigunt. *4ta* Reditibus propriis in hæc exhauſtis, debita contrahunt, & Patrimonia onerant. *5ta* Contractis debitis & oneratis Patrimoniis in egeſtatem incidunt. *6ta* Egeſtate preſſi; eam quam cepêre vivendi rationem, quibuſcunque demum etiam indigniſſimis & omnino illicitis modis continuant, hinc ad vicinorum bona & pagos jura ſibi cauſaſque confingunt; creditores exagitant; denique ad ſeditiones, imo ad bella etiam Civilia vehementer aſpirant; in iiſque futuræ melioris fortunæ ſpes ſuas collocant. Hæ omnes antecedentes propoſitiones, quarum una ex alia effluit, quia veræ ſunt; veriſſima etiam eſt Conſequentia: *Ergo prodigentia Juvenum pernitioſa eſt Humanæ Societati, ac proinde prodigis ejuſmodi Juvenibus Curatores ſunt dandi.*

Nota ſecundo. Cavendum eſſe diligenter, ne in illa ſerie propoſitionum admittatur aliqua vel falſa vel ambigua, hoc enim ſi fiat; tota argumentationis vis corruit, ut exemplo ſequenti patebit:

Cer-

Certum eſt bibliopolam multos libros frequenter evolvere; qui multos libros frequenter evolvit, multum ſtudet, qui multum ſtudet procul dubio ſit doctiſſimus; igitur bibliopola eſt doctiſſimus.

Patet in hac argumentatione conſequentiam eſſe falſiſſimam; idque ex eo, quod vox illa *evolvere* ambiguam patitur ſignificationem, hoc eſt: vel ſcienter & attente legere, vel ſolis duntaxat manibus verſare.

Epicherema eſt Enthymema contractum, cujus duæ propoſitiones in unam conferuntur. Ita Cicero Pro Plancio. Nro 49. *Sed cur ego ſic ago? quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus Ædilis.* Item pro Dejotaro. *Sine cauſa Dominum ſervus accuſat.* In hac enim una propoſitione, continentur hæ duæ: Non debet ſervus temere & ſine cauſa Dominum accuſare. Ergo ſervus Dejotari non debet illum apud Cæſarem incuſare. *Quid eſt Epicherema?*

§. VI.

De Confutatione.

Confutatio eſt illa Confirmationis pars, in qua rationes contra nos pugnantes refellimus. *Quid eſt Confutatio?*

Locus confutationis varius eſſe ſolet in oratione, nonnunquam enim tantum refutamus adverſarium, aliquando poſtquam confirmavimus propoſitionem noſtram, pergimus ad confirmationem. Denique prius nonnunquam adverſarium confutamus; tum deinde cauſam noſtram confirmamus. Triplicis *Quonam loco collocanda eſt Confutatio?*

hujus collocationis exempla, in variis Ciceronis Orationibus invenies.

Qui ordo servandus in Confutatione?

Ordo is erit in refellendo, quem adversarius in objiciendo tenuit, maxime ubi in refutatione tota Oratio versatur; ut in defendendo eo, qui accusatus est, aut in falsis opinionibus oppugnandis. Plerumque tamen in pluribus argumentis refellendis contrarius solet esse ordo, illi, quem in confirmatione observamus. Nam primo & ultimo loco infirmissima adversarii argumenta collocari solent; potentissima in medio.

Quotuplex est modus sive industria confutandi?

Ex innumeris aliis confutandi modis & industriis, tres præcipui sunt sequentes:

1mo Fit confutatio negatione facti, cum scilicet rem allatam ab adversario falsam omnino esse dicimus, aut illam absurdam, incredibilem, repugnantem esse demonstramus. Sic Cicero pro Quinctio rem negat aperte: *Negamus te bona Quinctii, Sexte Nævi, possedisse edicto Prætoris.* Sic etiam pro Roscio Nro 39. Postquam probavit nulla esse in Roscio vitia, quæ illum ad occidendum Patrem suum impellerent; sic confutat adversarium: *Quæ res igitur tantum istum furorem Sexto Roscio objecit? Patri inquit non placebat. Patri non placebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoque justam, & magnam, & perspicuam fuisse; nam ut illud incredibile est mortem oblatam esse Patri à filio, sine plurimis, & maximis causis; sic hoc verisimile non est odio fuisse Parenti filium sine causis multis, magnis & necessariis. Rursus igitur eodem revertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in unico*

nico

nico filio, quare is Patri displiceret: at perspicuum est nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud jam perspicuum profecto est; si neque amens Pater, neque perditus filius fuerit; neque odii causam Patri; neque sceleris Filio fuisse.

Plura hujusmodi Confutationis exempla vide in Orationibus Ciceronis pro Cælio Nro 55, 56, 58. Pro Cluentio Nro 173. Pro Dejotaro Nro 15.

2do. Fit Confutatio excusatione facti. Cum scilicet factum non negamus, sed aut jure factum fuisse contendimus, aut quod crimini adversario vertitur id virtuti dandum esse ostendimus, aut fatendo crimen, rogamus ut vel precibus amicorum vel ipsius personæ accusatæ meritis & officiis venia concedatur. Sic Cicero pro Rabirio Saturnii mortem quæ illi objiciebatur, adeo non expavescit ut scelus, ut potius illius auctorem exoptet fuisse Rabirium: *Arguis occisum esse à C. Rabirio, L. Saturnium. Et id C. Rabirius, multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissimè defendente antea falsum esse docuit. Ego autem si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc prædicare C. Rabirii manu L. Saturnium hostem Populi Rom: interfectum.*

Plura hujusmodi exempla invenies pro Milone Nro 84. Pro Cluentio ab his ver-

bis *Quid negasne illud judicium esse corruptum? Non*. Pro Ligario Nro 36.

3tio Fit confutatio retorsione facti, cum scilicet, aut factum in adversarios detorquemus, & sic suis ipsos (quod Ciceroni frequentissimum est) argumentationibus jugulamus; aut alia pari vel etiam majori re objecta, eosdem lacessimus. Sic Cicero pro Roscio Nro 44. *Vides Eruci, quantum distat argumentatio tua abs re ipsa; atque à veritate: Quod consvetudine Patres faciunt, id quasi novum reprehendis; quod benevolentia fit, id odio factum criminaris; quod honoris causa Pater filio suo concessit; id eum supplicii causa fecisse dicis. Neque tu hæc non intelligis, sed usque eo, quid arguas non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum contraque opinionem omnium*.

Plura ejusmodi exempla invenies eadem Oratione Nro 80. Pro Sextio Nro 47. 84. Pro Rabir: Nro 23 Item pro Ligario probat quod Tubero accusator Ligarii, in eadem causa fuit, cujus Ligarium accusabat.

Denique utile est nonnunquam in confutatione jocos, sales, & facetias, adhibere, quæ si nec in nimiam scurrilitatem degenerent, nec in atrocius maledictum, mirum quantum causæ prosunt, & animos auditorum exhilarant. Sic manifeste constat, non alia re, quam jocorum opportunitate L. Flaccum in manifestissimis criminibus accusatum, severitati judicum à Cicerone esse ereptum.

Sic idem Cicero in Fannium jocatur Oratio-

tione pro Q. Roſcio. *Qui id circo capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum viri boni habere videatur.*

Item Erucium Roſcii accuſatorem hac ironia belliſſime perſtringit: *Quæſo, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias; non enim exprobrandi cauſa, ſed admonendi gratia dicam; ſi tibi fortuna non dedit, ut Patre certo naſcerere, ex quo intelligere poſſes, qui animus patrius in liberos eſſet: at natura certe dedit ut humanitatis non parum haberes.*

Ipſe etiam Demoſthenes, licet grandis magis ſeveruſque Orator, quam venuſtus feſtivuſque videatur; jocis tamen & cavillationibus interdum ſatis libenter indulſit; quorum duo exempla ſubjungimus: Cum Demoſtheni objeciſſet Æſchines, quod inter dicendum: manum in ſinu contineret. Hoc venuſtiſſimo ejus ſermonem excepit ſcommate: *Non dedecet*, inquit, *manum in ſinu habentem concionari, ſed dedecet manum in ſinu habentem legationem obire.* Alludens, quod Æſchines auro corrumpi ſe paſſus erat in legatione ſua ad Philippum Macedoniæ Regem.

Nec minus ſcite, cum quidam Pitheas, qui ob furti ſuſpicionem male audiebat, exprobraſſet, quod ejus Oratio oleum & lucernam redoleret. *Scio* inquit Demoſthenes, *Tibi moleſtos eſſe, qui nocte lucernam accendunt.* Alludens fures tenebras amare.

§. VII.

De Uſu & venuſtate Argumentationum.

Syllogiſmus ſeu ratiocinatio ſervit exornaturally *Quis eſt uſus ar-*

na-

gumentatio- num? nationi & amplificationi ubi res ampla dicenda eſt ac fuſe per theſes probationeſque explicanda.

Enthymemate ſæpiſſime utuntur Oratores, quia efficax eſt & breve ad probandum.

Inductio delectat & eſt vulgo apta propter ſimilitudines & exempla.

Dilemma utrimque urget capitque adverſarium. Sorites, ſi ſine ſophiſmate ſit, eſt valida & fortis argumentatio.

Quibus modis redditur venuſta argumentatio? Tribus potiſſimum modis venuſta redditur argumentatio *1mo.* Si argumentationes venuſta quapiam varietate diſtinguantur; qua in re mirabilis eſt Cicero, qui ſemper ita variat argumentationes, ut dum unum argumentum effert Syllogiſmo, mox alterum Enthymematé, tertium Sorite 4tum Inductione, Dilemmate, aut exemplo mirifice efferat.

2do. Si ſingulæ argumentationis partes diverſis verborum & ſententiarum figuris (de quibus Lib: III. tractabimus) exornentur.

3tio Si argumentationes ipſæ, aptis tranſitionibus & digreſſionibus connectantur. Porro cum aptis hujuſmodi tranſitionibus ut plurimum laborant Tyrones Eloquentiæ Candidati, juvat aliquot earum ex Cicerone formulas, ad varias orationis partes accomodatas adferre.

Tranſitiones in Narrationibus.

Pro Roſcio? Atque ut facilius intelligere poſſitis ea, quæ facta ſunt indigniora eſſe, quàm hæc ſunt quæ dicimus, ab initio res, quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus. *Ibidem*

dem Omnia in hac cauſa ſunt miſera atque indigna, tamen hoc nihil neque indignius neque acerbius proferri poteſt.

Atque ut inde Oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa ducitur; bellum grave &c *Ibidem.* Cauſa quæ ſit videtis, nunc quid agendum ſit, conſiderate. *Ibidem.* Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. *Ibidem.* Reliquum eſt ut de felicitate pauca dicamus. Ego enim ſic exiſtimo. *Pro Lege Manilia?*

Quæ quoniam in Senatu illuſtrata, patefacta, comperta ſunt per me, vobis jam exponam breviter, ut & quanta & quam manifeſta, & qua ratione inveſtigata & comprehenſa ſint, ſcire poſſitis. *In Catilinam II.*

Id quo facilius facere poſſitis, dabo operam, ut à principio rem, quemadmodum geſta & contracta ſit, cognoſcatis. *Pro Quintio?*

Quam ſpem nunc habeat in manibus, & quid moliatur breviter jam Judices exponam, ſed prius ut ab initio res ab eo conſtituta ſit, quæſo cognoſcite. Primum *&c.* *In Verrem II.* Quantam poteſtatem habuerit videtis, quas res geſſerit cognoſcite. *In Verrina I.*

Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam. *Pro Dejotaro?*

Expoſui profectionis conſilium, nunc reverſionis, quæ plus admirationis habet, breviter exponam. *In Antonium?*

Quæ cum ſunt gravia, Judices, tum illud acerbiſſimum eſt, quod habet accuſatores *&c,* *Pro Murena?*

Tranſitiones in partitionibus Propoſitionum.

De me autem ipſo vereor, ne arrogantis ſit, *Pro Le-*

apud

ge agraria? apud vos dicere; ingrati tacere; Quare adhibebitur à me certa ratio. &c.

Pro Quinctio? Etenim rem facilius totam accipietis, si hæc memineritis, & me facile vestra existimatione revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi.

Pro Cluentio? Quamobrem alteram partem causæ sic agemus, ut vos doceamus, alteram sic, ut oremus, in altera diligentia vestra nobis adjungenda est, in altera fides imploranda.

In Antonium? Sed cùm mihi P. C & pro me aliquid & in M. Antonium multa dicenda sunt, alterum peto à vobis ut pro me dicentem benigne: alterum ipse efficiam, ut contra illum cum dicam attente audiatis.

Pro Roscio? His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, satis libere vociferari posse intel[illegible]o. Nam commoditati ingenium, gravit[illegible] ætas, libertati tempora sunt impedimento.

In Verrem IV. Magna videor dicere, attendite etiam, quem[illegible]dmodum dicam:

Pro Sextio? Itaque si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto à vobis, ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & justæ iracundiæ concedendum putetis.

Transitiones in Confirmationibus & Confutationibus.

Ad confirmationem sive causam rei probandæ transitur nonnunquam simpliciter per particulas causales: *Nam, Etenim, Enimvero,*

vero, ſiquidem. Item *Et recte, Recte enimvero, Et profecto ſapientiſſime, nec levibus de cauſis &c.*

Verum ſæpius fiunt tranſitiones ad Confirmationes & Confutationes figuratæ, en aliquot earum formulas.

Adeſte modo animis, qui corporibus adeſtis. *Item* Nunc vos appello, quotquot adeſtis, utilitatem expendite. *Item* Quamobrem ſapientiæ veſtræ erit P. C. videre hoc fædus ſine magna turpitudine veſtra peragi non poſſe. Age vero de periculo modo diſſeramus. *Per Apoſtrophen?*

Ego vos Auditores hujus rei arbitros & judices volo. *Item* Veſtrum facio judicium Auditores. *Item* Ea veſtris ingeniis conjecturisque committo. *Per Communicationem?*

Tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in hoſte diligamus! *Item* Quam vellem ad illas pulcherrimas Epulas me invitaſſes! *Per Epiphonema?*

Quæ ego niſi tanta eſſe fatear, ut ea vix cujuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim, ſunt tamen alia majora. *Per Incrementum?*

Niſi vero erraſſe Demoſthenem fateamur. *Item* Credo inſipiens erat Horatius. *Per Ironiam?*

Grave dictu, ſed dicendum tamen. *Per Licentiam?*

Argumenti prioris. De exercitatione & conſvetudine dixi, age ſis nunc de ratione videamus. *Per Repetitionem?*

Sed ut eo revertatur unde digreſſa eſt Oratio. *Item* Sed quorſum tam multa de Cæcilio? quorſum? Nempe ut intelligatis. *Item* Sed ad propoſitum revertamur. *Per Revocationem?* Ad Confutationem fit ſæpe tranſitio per particulas: *Verumtamen, ſed, enimvero, verum enimvero, ſed enim.*

Quid est Digressio? Digressio est rei alienæ quidem sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio. ut, si eximiæ alicujus fortitudinis factum explicas, ad laudes eorum, qui similia patrarunt, cum judicio excurris, & apta transitione ad rem tuam te recipis. Adverte tamen, quod res, ad quam excurritur, debet cohærere cum causa, nec debet esse per vim & temere inserta.

Exempla digressionis vide pro Quinctio Nro 44. Pro Roscio Nro 55. Item Verrina II. Ubi Cicero in Siciliæ laudes, & alibi sæpius in suas digreditur.

CAPUT IV.

De PERORATIONE.

Quid est Peroratio? Peroratio sive Epilogus, est ultima Orationis pars, in qua id, quod tota Oratione expetebat Orator, majori vehementia evincere, & obtinere contendit.

Quot partibus constat peroratio? Peroratio duabus constat partibus: scilicet Enumeratione, & Motu sive affectuum commotione.

§. I.

De Enumeratione.

Quomodo fit Enumeratio in Peroratione? Enumeratio fit, cum ea, quæ per totam Orationem varie sparsa sunt, summatim colligimus, & sub uno veluti aspectu ponimus. Fit autem:

Vel

Vel ſimplici repetitione rerum, quæ dicta ſunt per Orationem: Exemplum ſit Pro Lege Manilia Nro 49. *Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit, ita magnum, ut accuratiſſime ſit adminiſtrandum, & cum ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima authoritas, egregia fortuna: dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum & datum eſt, in Rempubl: conſervandam atque amplificandam conferatis.*

Vel enumerando, ea, quæ ab Adverſario dicta ſunt: Exemplum ſit pro Amerino Nro 145. *Prædia mea Tu poſſides, ego aliena miſericordia vivo, Concedo, & quod animus æquus eſt, & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt; fero, Familia mea maxima uteris, ego ſervum habeo nullum; patior & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis? officio? quid tibi obſto? &c.*

Vel conferendo argumentum Adverſarii cum noſtris *Exemplum vide Oratione III. de Lege Agrar: Nro 15.*

Fit denique Enumeratio per Interrogationem cujus exemplum vide *Pro Amerino Nro 152.* vel per Præteritionem ut pro Cluentio Nro 188.

In hac autem enumeratione duo hæc vel maxime ſunt obſervanda. *1mo* ut curſim & raptim, ea duntaxat repetas, in quibus cauſa potiſſimum conſiſtit, & quæ maxime velis

lis Auditorum animis inhærere. Si enim omnia minutatim repetas; *Non erit hæc peroratio, sed nova quædam Oratio* inquit Fabius.

2do. Quæ disperse diffuseque dicta sunt, ita summatim enumerabis, ut ea cum novo aliquo pondere dicantur figurisque illuminentur & ornentur sententiis.

§ II.

De Affectuum commotione.

Altera perorationis pars munusque alterum est, affectuum concitatio, quod quidem ita proprium est illius, ut propterea peroratio, *Sedes affectuum* à Magistris Artis appelletur; quod nempe in eo potissimum loco debeat Orator, omnia Orationis vela pandere, omnes Eloquentiæ fontes aperire, & Auditorum animis quasi faces stimulosque subjicere. Atque in hac parte incredibilem quandam admirationem habuit eloquentia Ciceronis, qui dum peroraret, non incendebat modo Judices, & Auditores, sed ardere ipse quodammodo videbatur, ac præsertim, quando concitanda erat erga reos commiseratio, ita ut non raro plangore & lamentatione forum compleverit. Verum cum de his motibus satis fuse in Libro I. egimus; hic breviter, quinam pro variis dicendi generibus adhibendi sint; indicamus:

Cum laudamus: excitandi sunt motus: *Amoris, gratulationis, admirationis, lætitiæ.*

Cum vituperamus: *Odii, invidiæ, contemptus, pudoris.*

Cum deliberamus: de re facienda: excitanda est *spes*, de re fugienda, excitandus est *timor*, & *periculi metus*.

Cum accusamus: *Odium invidiam & indignationem* movere debemus.

Cum defendimus *Amorem & misericordiam*.

Hic tamen cavendum est, ne in rebus levioribus vehementiores motus concitentur.

Denique peroratio sit brevis, ne inflammatus Auditor refrigescat vel alio animus rapiatur. Ut enim observat Tullius: *Lachrymæ cito arescunt, & animorum incendia celeriter restinguuntur*.

§. III.

De Artificio componendæ Orationis.

Tribus potissimum rebus constat artificium conficiendæ Orationis; scilicet: Exordio. Contentione, & Peroratione. Narratio enim, (si genus judiciale excipias) non semper nec ubique adhibetur.

Exordium continet prima quasi semina, argumentationum, amplificationum, affectuum, in reliqua Oratione tractandorum.

Contentio continet quæstionem seu propositionem brevem & distinctam, ad quam seligenda sunt ex locis Oratoriis duo tria ve argumenta præcipua, quibus & proposita quæstio niti, & in quæ quasi in suas partes Oratio distribui possit. Tum accedent argumentationes, uti Syllogismus, Enthymema; Inductio &c. Singulas autem argumentationis partes, cum Amplificatio rerum ac verbo-

borum exornare, tum aptæ tranſitiones colligere debent. Ad extremum affectuum commotio, interdum per totam orationem ſpargitur.

Peroratio colligit vehementius per Orationem ſparſa, ac primum argumentationes ſtrictim, ac ſapienti quadam confuſione recenſet, deinde ſparſos per Orationem affectus reſumit, adauget, & ad ſummum perducit. Nonnunquam etiam nova ſed brevi argumentatione, aut gravi quopiam dicto vel effato, tanquam forti telo ad finem reſervato, Auditorem vincit.

Ad hæc perficienda proderunt non parum ut opinor hucuſque dicta; ſed magis proderit continua bonarum Orationum lectio, meditatio, & ſollicita, quomodo intus à magnis ingeniis diſpoſita ſint conſideratio.

FINIS LIBRI SECUNDI.



ARTIS RHETORICÆ
LIBER TERTIUS

De Elocutione.

Hactenus de solida inventione, & recta inventorum dispositione tractavimus, restat ut de inventorum & dispositorum Elocutione, quæ tertia Rhetoricæ & potissima Eloquentiæ pars est, agamus. Neque enim ad bene *dicendum* sufficit, bene cogitare, cogitataque recte disponere, sed necesse est insuper cuncta quæ mente volvimus, verbis delectis, ac propriis cuique idiomati dicendi modis exponere, eademque certis quibusdam Eloquentiæ ornamentis sobrie adhibitis adspergere ac veluti sale quodam condire.

Porro quod verborum delectum spectat; illa imprimis sint propria; secundo perspicua; tertio ornatum Orationi afferant est necesse.

Proprietas verborum consistit in puro sermone & elegantia idiomatis, quo in Elocutione utimur. Perspicuitas orationi facile

con-

conciliabitur ſi verba non ſint à communi ſu remota; ſi eorum connexio non ſit prolixior; ſi vitentur longiores interjectiones, denique ſi neque inanis verborum multiplicitas congeratur, neque verbum aliquod, quod neceſſarium eſt, ſubtrahatur.

Jam vero Ornatum Elocutioni adferunt Tropi & Figuræ.

CAPUT I.

DE TROPIS.

Quid eſt Tropus? Tropus eſt verbi vel orationis à propria ſignificatione ad aliam cum virtute quadam ac dignitate translatio, ut cum dicimus *lætas ſegetes* verbum lætus à propria ſignificatione, qua lætos homines dicimus, ad ſegetes cum virtute transfertur.

Quotuplex eſt Tropus. Tropi duplices ſunt, alii in uno verbo, alii in pluribus ſeu in oratione.

§. I.

De Tropis in uno verbo poſitis.

Quod ſunt Tropi in uno verbo? Tropi in uno verbo ſunt ſeptem, ſcilicet: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Catachreſis, Metalepſis, Onomatopæja.

METAPHORA.

Quid eſt Metaphora? Metaphora eſt translatio vocis à propria ſignificatione ad alienam. Ut cum ait Tullius. *Parietes hujus Curiæ tibi gratias agere geſtiunt.*

Varii cum Quintiliano varios Metaphoræ fontes deducunt, hos omnes ad quatuor revocamus.

Unde nam potissimum ducuntur Metaphoræ?

1mo. Fit Metaphora. Cum à re quapiam animata ad rem aliam animatam, verbum, substantivum, aut adjectivum transferimus. Ut cum ait Livius *Scipionem à Catone solitum allatrari.*

2do Fit Metaphora. Cum inanimata, pro aliis inanimatis ponuntur. Ut Habena *pro* Gubernaculo. *Frænum* pro *Lege.* &c.

3tio Fit Metaphora. Cum inanimata transferuntur ad animata. Ut cum ait Cicero: *Contra ejectam Naufragorum manum, florem Italiæ ac robur educite.*

4to Præcipuam quandam venustatem habet Metaphora, cum rebus inanimatis sensuque carentibus sensum quendam animosque, ac veluti vitam damus. Ut Cicero pro Ligario *Quid enim tuus ille Tubero, districtus in Acie Pharsalica gladius agebat, cujus latus mucro ille petebat, qui sensus erat armorum tuorum? &c.*

Caveat Orator ne frequenter utatur Metaphora, frequens enim illius usus, plurimum affert satietatis atque fastidii. *2do* Metaphora non sit inverecunda, *3tio* Non sit nimis humilis; ut si Consulem *Aurigam* Civitatis vocares.

Quæ in Metaphora cavenda Oratori?

4to Non sit nimis Poetica: ut si pro *Garrulo*, Architæ *crepitaculum* in Oratione poneretur.

5to Ne sit nimis dissimilis ut *Cauda* Orationis pro *Epilogo*. *Vagina* Animæ pro *Corpore*, *Saxeæ* Mundi *verrucæ* pro *Rupibus*.

Juvat hic selecta Verborum, substantivorum & Adjectivorum Metaphoricorum exempla ex Classicis Authoribus in gratiam Tyronum adferre.

VERBA METAPHORICA.

Ex Cicerone? Idem tumulus, qui corpus *contexerat* nomen *obruit*. Gloria, brevitatem vitæ *consolatur*. Quos ferro trucidare oportebat, nondum voce *vulnero*. *Silent* leges inter arma. &c.

Ex Livio? Hærente in ipsis visceribus *urimur* bello. Venandi studium homines per nives ac pruinas in montes silvasque *rapit*. Lætitia *luxuriat*. Luxuria *marcet*. *Frangere* hostis audaciam. *Lacerat* invidia Principes.

Ex Curtio? Conscientiæ notas in ipso ore *deprehendere*. Vires discrimini bellorum *offerre*. *Jactamur* varietate fortunæ. Fluvius quidquid aluit, floribus *vestit*. *Incaluit* mero. Senectus corpora *solvit*. Languentem *revocavit* animam. Surdas jam dudum Aures pulso &c.

SUBSTANTIVA METAPHORICA.

Ex Cicerone? Vita rustica parsimoniæ *magistra* est. *Pondus* verborum non sustinebat. *Fons* perennis gloriæ. Fortunæ *cursus*. Luctuosissimi belli *Semen* fecisti. Libidinosi veræ laudis *gustum* non habent. Orationis *vela* pandere.

Ex Livio? *Insolentia* Sermonis offenderunt aures. Tua *vestigia* laudis sequar. Belli *procellæ*, *Ludibrium* fortunæ.

Ex Curtio? Incertæ famæ captare *auram*. *Sævitia* maris, Juvenis primo ætatis *flore* pubescens.

Ar-

Armatorum frequens *globus* Illa disciplina paupertate *magistra* stetit &c.

Adjectiva Metaphorica

Muta Solitudo crimen indicavit. Victoria naturâ *insolens ac superba*. *Effrenata* Audacia. *Vaga & volubilis* fortuna. *Ex Cicerone?*

Insanabile ingenium. Legis *superbæ* vincula. *Labantem* fortunam sustinuit. *Ex Livio?*

Laxata vis morbi. *Præceps* Senectus. *Pertinax* fortuna. *Segnes* aquæ. *Infractus* animus. *Emerita* arma. *Ex Curtio?*

Synecdoche.

Synecdoche est deductio unius ex alio Fit octo modis *Quid est Synecdoche?*

1mo Ponitur pars pro toto, ut: *Mucro* pro gladio, *tectum* pro domo, *vela* pro navibus.

2do Totum pro parte. Ut *silvam* cædere pro lignis. *Formosissimus Annus* pro vere. *Mari* imperat.

Modus hic solis ferme Poetis familiaris est;

3tio Unus pro pluribus. Ut: *Phryx* plagis emendatur pro Phryges. *Hostis* imminet Urbi, pro hostes.

4to Plures pro Uno: Ut: Cicerones & Demostenes nostra fert ætas. Oratores visi sumus, huc etiam revocantur formulæ: Nos Rex. Nos Imperator.

5to Pro genere species. Ut *Eurus vel Aquilo* pro quolibet vento. *Massicum, phalernum* pro Vino. Qui *Curios* simulant. Pro frugalibus.

6to Pro Specie genus. Ut *Consul hostem* jubet urbe exire. Ideſt Cicero Catilinam. Eſt in milite *virtus*. Ideſt fortitudo.

7mo Materia pro re, ut: *Ferrum* pro Enſe, *aurum* pro nummis, *Pinus* pro navi.

8vo Antecedens pro Conſequente, vel contra. Ut. Pecora domum redeunt *pro veſpere*. Jam hirundo redierat, *Pro vere*. Ciconiæ avolant, *pro autumno*.

Exempla ex Cicerone? Pro *capite* alterius cauſam dicere. *Mucronem* à jugulis rejecimus. *Ferro* rem aſſequi cenſuerunt. Sua *tecta* defendere. De *focis* veſtris judicandum eſt. Ad puerorum *incunabula* pertinet.

Ex Livio? In ſingulas horas *capite* dimices tuo. *Ferrum* timet. In tuo *capite* periclitabantur.

Ex Curtio. Faſtigium hoc *per ignes ferrumque* petitur. Multa *cedro* ædificata erat Regia. Menſas *auro* onerare. Tot Civium *animas* trahis tecum in caſum.

Ex Plinio. Non *trabibus* aut *ſaxis* nomen, ſed monimentis æternæ laudis inciditur. *Rhenum & Eufratem* admirationis famâ conjunxit.

METONYMIA.

Quid Metonymia? Metonymia eſt tropus, quo unum ex alio intelligitur.

Fit quinque modis.

1mo Cum Cauſa ponitur pro effectu. Ut *Martem* ſpirat; ideſt bellum. *Ruris* in ſe habet plurimum, ideſt morum ruſticorum. Sub *Jove*, frigido, ideſt aere. Sic etiam dicimus: Pro igne *Vulcanum*, pro aqua *Neptunum*. Pro tellure *Veſtam*, pro tempore *Saturnum*,

pro

pro ventis *Eolum*, pro somno *Morpheum*. Verum hæc potius sunt Poetica quam Oratoria.

2do Cum effectus ponitur pro causa. Ut *victoria* naturâ insolens, idest victor. *Diligentia* coronatur, idest diligens. *Scelus & sacrilegium* deprehensum, idest scelestus & sacrilegus.

3tio Continens pro Contento. Ut *Athenæ* scientiarum inventrices, idest *Athenienses*. *Urbs* bene morata, idest incolæ Urbis. *Sæculum* felix, idest homines hoc sæculo viventes. *Rhetorica* diligens vel pigra, idest Rhetores.

4to Possessor pro re possessa, Ut Hannibal ad portas, idest Milites Hannibalis. Ardet Ucalegon, idest domus Ucalegontis.

5to Signum pro re signata. Sic ponuntur signa Regionum pro ipsis Regionibus: ut *Lilia*, pro Gallia; *Aquila biceps*, pro Austria. *Cornua lunæ*, pro Turcia.

Item signa Populorum à fluviis. Ut Rhenus, pro Germanis. Nilus, pro Ægyptiis. *Eufrates* pro Parthis, Ganges pro Indis, Tyberis, pro Romanis. *Tagus*, pro Hispanis. *Thamesis* pro Anglis, *Jordanus* pro Palestinis. &c. Sic etiam signa scientiarum pro scientiis, ut *Pallium* Philosophiæ, *Thyrsus* Rhetoricæ. Laurus Poeticæ. *Soccus* Comicæ. *Cothurnus* Tragicæ Artis. Item illa: *Oliva* vel Toga pro pace. *Laurus* pro victoria: Fasces pro Magistratu &c.

Semper mea consilia paci & *togæ* sacra fuerunt. Illa vita est, quam *posteritas* alet, quam æternitas ipsa tuebitur. Opressa *virtute*

Exempla ex Cicerone.

tute audacia est. Martis manubias Musis consecrare. In Cinere urbis & *Sanguine*. Repente *Cælum terramque* ademerunt. Quale bellum nulla unquam *barbaria* gessit.

Ex Livio. Vario *Marte* pugnatum est. Dandus est *invidiæ* sanguis. *Superbas* medius fidius *aures* habemus. Sorte quadam nutriendæ *Græciæ* datus.

Ex Curtio. Quot ille tum extinxit *faces*, quot condidit *gladios*. Captivum *Aurum*. Victus *continentiâ* hostis. *Paupertas* nostra velocior erit, quàm exercitus tuus. *Emoriente* terra.

Ex Plinio. Quibus erat mos *paludamento* mutare *prætextam*. Magnus pudor erat *fascibus*. Magnum *sæculo* dedecus, magnum Reipublicæ vulnus impressum. *Oriens* triumphis *Occidensque* lustratus. Animadverto Deos tam accuratis adorantium precibus, quam *innocentia* lætari, gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque *mentem*, quàm qui meditatum *carmen* intulerunt.

ANTONOMASIA

Quid est Antonomasia? Antonomasia est tropus, in quo pro vero nomine ponitur aliquid rei per excellentiam conveniens. Ut Eversor Carthaginis, pro Scipione. Asiæ domitor *pro Alexandro*. Romanæ Eloquentiæ Princeps, *pro Cicerone*. Conditor Urbis *pro Romulo*. Item: Rex Catholicus *pro Hispaniæ*, Rex Apostolicus *pro Hungariæ*, Rex fidelissimus pro *Lusitaniæ Regibus*.

CATACHRESIS, METALEPSIS, ONOMATOPÆIA.

Quid est Catachresis? Catachresis est abusio vocis, nempe quando vocabulo alieno proinde ac proprio utimur.

mur. Sic *Parricidam* (qui proprie Patris interfectorem significat) vocamus etiam eum, qui matrem aut sororem interfecit, cum Matricida & Sororicida non recte latine dicantur. Tale est etiam illud Plinii. *Lanianda Patriæ viscera præbuimus* Et illud Ciceronis *Orationis vela pandere*.

Metalepsis est tropus, quo ex una significatione ad aliam veluti per gradus ascenditur. Ut cum dixit Virgilius *Post aliquot mea regna videns mirabor Aristas*, ideſt post aliquot annos. Nam ex aristis spicas, ex segetibus æstates, & ex æstatibus Annos intelligimus. Similia sunt etiam: Tertia *messis* erat. Primæ *lanuginis* ætas, ideſt juventus. Venit ad *Albentes comas*, ideſt ad senectutem. *Quid Metalepsis?*

Nota: hic tropus parcissime apud Oratores usurpatur.

Onomatopæja, est fictio vocis ad rem significatam nativa aliqua soni similitudine accedentis. Ut Rivus *murmurat*, Æther *immugit*. *Gemituque ejulatuque* tota personabat regio. *Quid Onomatopæja?*

§. II.

De tropis qui in pluribus verbis sive in Oratione fiunt.

Tropi in pluribus verbis sive in Oratione tres numerantur. Scilicet Allegoria, Hyperbole & Jronia. *Quot sunt tropi in pluribus verbis?*

Allegoria

Allegoria est plurium Metaphorarum continuatio, seu tropus, quo aliud verbis dicitur, aliud re ipsa intelligitur. *Quid est Allegoria?*

Ne-

Exempla ex Cicerone. Neque tam fui timidus, ut qui in maximis *turbinibus ac fluctibus navem* Reipublicæ gubernassem salvamque in *portu* collocassem, frontis tuæ *nubeculam* pertimescerem, alios ego vidi *ventos*, alias animo prospexi *procellas*, aliis impendentibus *tempestatibus* non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli. *In Pisonem*. Invenies pulcherrima Allegoriæ exempla pro Milone Nro 5. Pro Marcello Nro 4. Pro Murena Nro 35.

Ex Livio. Non statu *tranquillo navigamus* sed jam aliquot *procellis submersi* pene sumus. Ex *naufragiis* prioris culpæ cladisque *emersimus*. Ea tandem *vulnera* attingo, quæ nisi *tacta tractataque sanari* non possunt. Aluistis hoc *incendium* quo nunc *ardetis*.

Ex Curtio. *Impone* felicitati tuæ *frænos*, facilius illam *reges*. Et præteritæ fortunæ *fastigium* capio, & præsentis *jugum pati* possum. Quod Imperium sub uno *stare* potuisset, dum à pluribus *sustinetur*, *ruit*; non *revirescet* solum sed etiam *florebit* Imperium.

Observandum maxime est, ut Allegoria sibi constet, idest, ut quo genere cæperis translationem, eodem finias. Quis enim non improbaret sequentem Allegoriam *Invidiæ incendio deflagravi, ac demum ejus fluctibus demersus sum*; in qua initium ab incendio sumptum tempestate & fluctibus concluditur.

HYPERBOLE.

Quid est Hyperbole? Hyperbole est tropus, quo res plus æquo vel augetur, vel minuitur.

Pom-

Pompejus sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam cæteri legerunt. Fines vestri Imperii non terræ, sed Cæli regionibus terminavit. Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis unguibus, usque ad verticem summum, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur; qui idcirco capite & superciliis semper est rasis, ne ullum quidem pilum viri boni habere videatur. *Exempla ex Cicerone.*

Plura & illustria ejus tropi exempla invenies. Pro Marco Marcello Nro 4. Pro Lege Manilia Nro 28. Philip: II. Nro 67. Verrina VII. Nro 144.

Plura quàm sol videt loca, victoriâ lustrare. Trahi extra sidera & solem. *Ex Curtio.*

Fingenti mihi Principem, quem æquata diis potestas deceret, nunquam voto concipere succurrit similem huic, quem videmus .... Princeps, qui terrarum fœcunditatem, nunc huc, nunc illuc, ut necessitas posceret, transferret .... Omnia tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis, ut subsedisse montes, flumina exaruisse videantur. *Ex Plinio.*

Ironia.

Ironia est tropus contrarium significans, cum illusione. Ut si de timido ac fugaci milite diceres: *O virum strenuum & columen exercitus nostri, quem nullus unquam hostis viderit.* Aut de rustico & inurbano. *En scitum hominem & urbanum, delicias meras, & leporem.* Frequens est Cicero in Ironia, *Quid est Ironia?*

præ-

præſertim ſi jocari in aliquem mordacius voluerit; eximia eſt inter cæteras hæc Miloniana: *Sed ſtulti ſumus*, inquit, *qui Druſum, qui Affricanum, Pompejum, noſmetipſos cum Publio Clodio conſerre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa; Clodii mortem æquo animo ferre nemo poteſt: luget ſenatus, mæret Equeſter ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt, ſquallent municipia, afflictantur Coloniæ, agri denique ipſi, tam beneficum, tam ſingularem, tam manſvetum civem deſiderant.* Similis eſt etiam illa in Verrem. *Integritas credo te tua purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit &c.*

Quibus in exemplis ſimulatio tota fit in ſingulis verbis à ſua ſignificatione in contrariam mutatis; nam quid de Clodio & Verre ſenſerit Cicero, abunde patet ex ejuſdem contra utrumque Orationibus.

Porro Ironia fit, vel ſimpliciter per contemptum ut Cicero in Antonium: *Tu homo ſapiens, diſerto quid dicis?* Et *O præclarum cuſtodem Ovium, ut ajunt lupum!* vel per Sarcaſmum, quæ eſt irriſio amariſſima. Ut pro Cælio. *Quod facerem vehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro; fratrem volui dicere, ſemper hic erro.* Vel per ſcomma. Ut pro Roſcio Amerino Nro 44. *Quæſo Eruci, ut hoc in bonam partem accipias, non enim exprobrandi cauſa, ſed commonendi gratia dicam. &c.*

Obſervandum autem Ironiam facile intelligi, vel ex modo, quo pronuntiatur, qui irriſionem ſonat, vel ex perſona, aut rei natura, verbis, quæ proferuntur contraria.

§. III.

§. III.

Usus Troporum in genere.

Usurpatur vel in laude vel in Vituperio, vel etiam cum rem inanimatam oculis subjicere volumus. Ut Cicero in Verrem Nro 3. *Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis, efficere potuisset &c.* Ubi vitia pro ipsis sceleratis personis sumuntur. *Metonymia.*

Adhibetur; vel dum ipsum adversarium irridemus, vel dum ne ipsius argumenta valeant, ea in risum convertimus. Sic Cicero in Pisonem Nro 58. *Non est integrum Cnejo Pompejo consilio uti tuo: erravit enim, non gustarat illam tuam Philosophiam &c.* *Ironia.*

Non parum confert, vel ad laudem vel vituperium ut patet ex adductis exemplis. *Metaphora.*

Usurpatur ad delectationem, dummodo non sit nimia. *Allegoria.*

Adhibetur vel propter penuriam alicujus vocis, vel ad Ornatum. *Antonomasia.*

Adhibetur, vel ut aliquid ultra condignum augeatur vel infra condignum minuatur. *Hyperbole.*

Monendi hic sunt Adolescentes. Ne nimis tropos in Oratione quæritent, ipsimet naturaliter influant necesse est; longeque plura sine tropis esse efferenda.

CAPUT II.

De Figuris Verborum.

Figura est loquendi modus illustrior, à communi consvetudine remotus. *Quid est Figura.*

Fi-

Figuræ duplices ſunt, aliæ verborum, ſententiarum aliæ, hæ in ſententiis, illæ in verbis vim habent & elegantiam.

Figuræ verborum fiunt.

1. Per Adjectionem
2. Per Detractionem } Vocum.
3. Per Similitudinem

§. I.

Figuræ per Adjectionem.

Quæ verborum figuræ ſunt per Adjectionem? Figuræ verborum per Adjectionem octo ſunt præcipuæ; nimirum: Repetitio, Converſio, Complexio, Conduplicatio, Gradatio, Synonymia, Traductio, Polyſyntheton.

REPETITIO

Quid eſt Repetitio? Repetitio, eſt figura in qua ab eodem vocabulo ſæpius inchoatur Oratio.

Exempla ex Cicerone. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam ſed etiam non videam, planeque ſentiam.* Pro Quintio Nro 82. *Quid hæc amentia, Quid hæc feſtinatio, quid hæc maturitas tanta ſignificat? non vim? non ſcelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem. Ibidem* Nro 51, & 52.

Ex Livio. *Metius eſt ductor itineris hujus, Metius hujus Machinator belli, Metius fœderis Romani Albanique ruptor.*

Ex Curtio. *Illam indolem, qua omnes reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdavit.*

Ni-

Nihil severitati ejus, hilaritate, nihil gravitati, simplicitate, nihil majestati humanitate, detrahitur; jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, jam dignitas oris, nonne Principem ostentant. *Ex Plinio.*

Conversio

Conversio est figura Repetitioni prorsus contraria, in qua sæpius eodem vocabulo clauditur oratio. Ut illud Philippica II Nro 55. *Doletis tres exercitus Populi Romani interfectos? interfecit Antonius; desideratis clarissimos Cives? eos quoque vobis eripuit Antonius; auctoritas hujus Ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Item ad Herennium Lib: 4. *Ex quo tempore concordia de Civitate sublata est; fides sublata est, amicitia sublata est, Respublica sublata est.* *Quid est Conversio?*

Item in Vatinium Nro 37. *Atque illud etiam audire à te cupio, quare cum ego legem ex Senatus Consulto de ambitu tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, tu eam esse legem non putes?*

Complexio.

Complexio est figura, quæ Repetitionem simul & Conversionem complectitur, cum nimirum ab eadem voce inchoatur, & eadem sæpius finitur Oratio. Sic Cicero: Ad Her: *Quem Senatus damnarit, quem Populus Romanus damnarit, quem omnium existimatio damnarit, eum vos sententiis vestris absolvetis?* Et pro Lege Agrar: *Quis legem tulit? Rullus, quis majorem Populi partem suffragiis privavit? Rullus; quis comitiis præfuit idem Rullus.* *Quid est Complexio?*

Sic

Sic etiam Plinius: *Si iero ad fratrem invitatus, moriendum est; si recepero intra januam commessatum fratrem, moriendum est: nec eundo, nec manendo insidias evito.*

Nota: Tres præcedentes figuræ mirum in modum valent in exaggerandis virtutibus ac vitiis, faciuntque ut acrior sit ac vehementior oratio; quia tamen statim incurrunt in oculos, propterea non sunt diutius continuandæ, sed satius est, ut aliarum figurarum admixtione temperentur. Plura illarum exempla invenies:

Divinatione in Verrem Nro 21. Pro Roscio Nro 13. Pro Lege Manilia Nro 40. In Rullum Nro 9. Catilinaria 1ma Nro 1. Philip: 2da. Nro 19. Pro Mil: Nro 59, 94. & 100.

CONDUPLICATIO.

Quid est Conduplicatio?

Conduplicatio est ejusdem vocis aut plurium geminatio idque vel initio Orationis. Ut Catilinaria 1ma *Vivis, & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.* Vel in medio, ut Philip: 2da. *Etiam audes horum in conspectum venire Proditor Patriæ, proditor inquam Patriæ venire audes in horum conspectum.* Vel in fine, ut pro Sextio: *Ademit Albino soceri nomen mors filiæ, sed charitatem illius necessitudinis & benevolentiam non ademit.*

Interdum etiam tota sententia, alio quopiam interjecto repetitur; ut Verrina VII. *Quid Cleomenes facere potuit, (non enim possum quempiam insimulare falso) quid inquam Cleomenes magnopere facere potuit.*

Exem-

Exempla alia:

Accede, lictor, accede. Virtute cepiſtis locum, virtute oportet evadere. Ex Livio.

Illa ſuum, illa neptium vicem flebat, illi aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant. Ex Curtio.

Nuncupare vota & pro æternitate imperii, & pro ſalute Principum, imo pro ſalute Principum, ac propter illos, pro æternitate imperii ſolebamus. Ex Plinio.

Hæc figura ad vehementiam & ſvavitatem Orationis plurimum confert.

Gradatio.

Gradatio eſt figura, qua per rerum incrementa, ceu per gradus quoſdam vel aſcenditur ad ſummum, vel deſcenditur ad infimum. *Quid eſt Gradatio?*

Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Ad Heren: Item pro Roſcio. *In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt; ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur.* Item lepidum illud ad Atticum: *Si dormis, expergiſcere; ſi ſtas, ingredere; ſi ingrederis, curre; ſi curris advola.* *Exempla ex Cicerone.*

Plura exempla Ciceronis vide pro Quintio Nro 95 Verri: VII. Nro 75. Pro Milone Nro 61. Pro Archia Nro 4. Pro Sextio Nro 32.

Scies Regum majeſtatem difficilius à ſummo faſtigio ad medium detrahi, quam à mediis ad ima præcipitari. Ex Livio.

Ma-

Ex Plinio. *Magnum erat, cum promitteres, majus postquam præstitisti.*

Hæc figura cum affectatam artem sapiat rarius est usurpanda; adhibetur tamen interdum, ad venustatem & ad vim addendam Orationi.

SYNONIMIA.

Quid est Synonimia? Synonimia est figura, qua plura idem fere significantia congeruntur instandi urgendique gratia.

Exempla ex Cicerone. *An vero vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato Civitatis sermone vagantur.*

Item Catil: 2da Nro 1. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem Patriæ nefarie molientem ex urbe vel ejecimus vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus, abiit, excessit, erupit, evasit.*

Plura hujus figuræ Ciceronis exempla vide Catilinaria 1ma Nro 10. Post reditum in Senatu Nro 1. Pro Milone Nro 33. In Pisonem Nro 47.

Observa: In hac figura magnum imprimis habendum esse verborum delectum, ne orationem potius onerent quam ornent; secundo ut verba, quæ extremo loco ponuntur, sint graviora prioribus, imo etiam aliquid paulo diversum sonent.

TRADUCTIO.

Quid est Traductio? Traductio est variata casibus, aut generibus, aut modis, aut temporibus ejusdem vocabuli repetitio.

Eum-

Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam hominis vitam tam crudeliter petiisset Lib: 4. ad Heren: Ibidem. *Divitias sine divitum esse, tu verò virtutem præfer divitiis, nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneæ tibi divitiæ videbuntur, quæ virtutis pedissequæ sint.* *Exempla ex Cicerone.*

Ad hanc figuram etiam revocatur, cum idem vocabulum in diversa significatione repetitur. Ut Cicero ad Heren: Nro 19. *Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas.* Item: *Amari jucundum est, si curetur ne quid insit amari.*

Qui aliis exemplo esse debetis, aliorum exemplo peccatis potius, quam alii vestro recte faciunt. *Ex Livio.*

Polysindeton.

Quid est Polysindeton.

Polysindeton est figura conjunctionibus abundans.

Teque, tuique similes, tibique charos & aspernor, & adversor, & execror, nec timeo minas, quæ jactas, nec terrent me pericula, quæ denuncias. Item: *Et justitia, & liberalitate, & fortitudine cæteros omnes Imperatores superavit.* *Exempla ex Cicerone.*

Quotiescunque Patria in mentem venit hæc omnia occurrebant: colles campique & Tiberis, & assveta oculis regio & hoc Cælum sub quo natus educatusque essem. *Ex Livio.*

In tui adoptione, non servitus nostra, sed libertas, & salus, & securitas fundabatur. *Ex Plinio.*

§. II.

De Figuris per detractionem.

Quæ ſiunt figuræ per detractionem.

Figuræ per detractionem quatuor ſunt ſequentes; Reticentia, Adjunctio, Disjunctio, & Synecioſis.

RETICENTIA.

Quid eſt Reticentia.

Reticentia eſt figura in qua vox omiſſa, commode ex cæteris intelligitur.

Exempla ex Cicerone.

Vix è domo diſceſſerat, mærere ſervi, lugere filii, conjux miſera lamentari ſupple *cœperunt.*

Item: *Sermo nullus, niſi de te.* Supple *factus eſt.*

Item: *Sed vos, qui tandem?* Supple *eſtis.*

Item: *Hunccine hominem? hanccine impudentiam? hanccine audaciam?* Supple *feremus.*

Ex Curtio.

Rex unus tanti mali patiens, circuire milites, contrahere diſperſos, allevare proſtratos. Supple *cœpit.*

Item: *Fluctuare animo Rex, & modo ſuum, modo Parmenionis conſilium perpendere.*

Ex Plinio.

Hactenus ille, parcius fortaſſe, quam decuit optimum Principem, ſed non parcius, quam optimum patrem. Supple *vixit.*

Item: *Iter illi ſæpius in forum, frequenter tamen in campum.* Supple *erat.*

Hæc figura, ob ſuam brevitatem frequentiſſima eſt in narrationibus.

ADJUNCTIO.

Quid eſt Adjunctio

Adjunctio eſt figura in qua ad unum verbum plures ſenſus referuntur.

Exempla ex Cicerone.

Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Pro Quintio.

Pro Lege Manil: *Non eum avaritia ab inſtituto curſu ad prædam revocavit, non libido*

ad

ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique libertas ipsa ad quietem.

Non senibus, non fœminis, non infantibus parcitur. *Ex Curtio.*

Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium servis. *Ex Plinio.*

Certare cum fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu, non mediocre pacis decus habebatur.

Disjunctio

Disjunctio sive dissolutio est figura, in qua conjunctiones & particulæ tolluntur, ut incitatior feratur Oratio. *Quid est Disjunctio?*

Hæc studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Exempla ex Cicerone.*

Visite! prædam abigi, fumare incensa passim tecta, ager uritur, urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. *Ex Livio.*

Devehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit. *Ex Plinio.*

Syneciocis.

Syneciosis est figura, quæ duas res contrarias uno verbo conjungit. *Quid est Syneciosis.*

Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. *Exempla ex Cicerone.*

Item: *Pessima res est & nimia servitus, & nimia libertas.*

Item: *Mavult commemorari de se, cum*

posset perdere, pepercisse; quàm cum parcere potuisset, perdidisse.

Ex Livio. *Plebicolæ, qui vos nec in armis, nec in otio esse sinunt.*

Ex Curtio. *Hæc tecum, quam sine te cum his loqui malui.*

Nota: Hæc figura plurimum confert ad acutas brevesque sententias, & allusiones.

§. III.

De Figuris per Similitudinem.

Quæ sunt figuræ per similitudinem.

Figuræ per similitudinem tres in primis numerantur; nempe: Paronomasia, similiter cadens, & similiter desinens.

PARONOMASIA.

Quid est Paronomasia. Paronomasia est figura, qua voces pene similes ac colludentes usurpantur in sensu dissimili.

Exempla ex Cicerone. *Consul ipse parvo animo & pravo, facie magis, quam facetiis ridiculus.* Ad Atticum.

Item in Antonium: *Cum in gremio mimarum mentum & mentem deponeres.*

Et alibi: *De hujus urbis, atque adeo Orbis exitio cogitat.*

Item Philip 3. *Ex aratore factus Orator.*

Ex Livio. *Plebis ritum, quo oneratus magis, quàm honoratus sum primus antiquo abrogoque.*

Ex Curtio. *Quid iniquius, quàm me, qui, si tibi non paruissem jure daturus fui pœnas; nunc perire, qui parui.*

SIMILITER CADENS.

Quid est similiter cadens. Similiter cadens est vocabulorum per eosdem

dem casus vel per eadem tempora expressorum svavis quidam concentus.

Quid tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis mare fluctuantibus, littus ejectis? Pro Roscio Amerin: *Exempla ex Cicerone.*

Item in Rullum *Contemni populi Romani majestatem, vexari Rempublicam, deludi vosmetipsos patiemini.*

Hæc est eadem familia, cujus vi compulsi sacrum montem cepistis, hæc adversus quam tribunitium auxilium vobis comparastis, hæc propter quam Aventinum insedistis. *Ex Livio.*

Eripite viscera mea ex vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipsi mori non recusastis, credite Parentes, liberos tendere ad vos manus. *Ex Curtio.*

Quàm modicus erat cultu, quàm parcus comitatu, quàm civilis incessu. *Ex Plinio.*

Similiter Desinens.

Similiter desinens est figura in qua plura Orationis membra eodem modo terminantur. Ut apud Quintilianum: *Ejusdem non est, & facere fortiter, & vivere turpiter.* *Quid est Similiter desinens?*

Itaque non sum prædicaturus, quantas res ille domi militiæque, terra, marique, quantaque felicitate gesserit, ut ejus voluntatibus non modo cives semper assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Pro Lege Manilia. *Exempla ex Cicerone.*

Et Verrina III. Nro 9. *Cum fana spoliarit, cum tot homines innocentes necarit, cum Cives Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cum prædonum duces accepta pecunia dimiserit.* *Agi-*

Ex Livio. *Agite, ubi curiam circum ſederitis, infeſtum feceritis, carcerem principibus impleveritis; egredimini extra portam.*

Ex Curtio. *Hi territos regere non poterant, Equi crebra jactatione cervicum jugum excuſſerant, currus everterant.*

CAPUT III.

DE FIGURIS SENTENTIARUM.

Quid ſunt figuræ ſententiarum? Figuræ Sententiarum ſunt illa Orationis ornamenta in quibus juxta Quintilianum *Libr: 9. Cap: 2* maxime Elocutio ſita eſt; quæque non in verbis, ſed in ipſis ſententiis collocatam habent ſuam dignitatem.

§. I.

De Interrogatione, Reſponſione & Subjectione.

INTERROGATIO.

Quid interrogatio? Interrogatio eſt vehemens non tam ſciſcitandi, quam inſtandi potius & urgendi gratia ſuſcepta percontatio. Hujus figuræ, tot ſunt apud Ciceronem exempla, ut in ſingulis pene ejus paginis occurrant. Fit autem.

1mo. Interrogando de eo, quod negari non poteſt. Ut Cicero Catilin: I. Nro 1. *Patere conſilia tua non ſentis? Conſtrictam jam horum omnium conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris.*

Et

Et Verrina VII. Nro 146. *An dices hominem non esse a te interemptum, quem palam & in ipsa Civitatis luce occidisti?*

2do. Quærendo de eo, cui respondere sit difficile. Ut Cicero pro Plancio: *Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen; quamcunque tribum inquam delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito! si poteris, vitium.*

3tio. Iocando & irridendo. Ut pro Roscio Amer: Nro 54. *Quid affers, quare id factum putemus? vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem, commode; ut non plane videaris id facere, quod aperte facis, hujus miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium voluit: quam ob causam? Nescio. Exheredavitne? non. Quis prohibuit? Cogitabat: Cogitabat? Cui dixit? nemini. &c.*

4to. Invidiam alicui accersendo ut pro Sextio Nro 17. *Quid dicam? Consules? Hoccine ut ego apellem nomine, eversores hujus imperii, proditores vestræ dignitatis, hostes bonorum omnium, qui ad delendum senatum, affligendum Equestrem ordinem, extinguenda omnia jura atque instituta majorum, se illis fascibus, cæterisque insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur?*

Plura hujus figuræ exempla vide pro Cælio Nro 71. Pro Flacco Nro 19. Pro Cluentio Nro 62.

Quæ tristitia hæc milites? quæ insolita cunctatio est? .... quid Arma habetis? quid bel- Ex Livio.

bellum intulistis? in otio tumultuosi, in bellis segnes; quid hic stantibus spei est?

RESPONSIO.

Quid est Responsio. Responsio est figura qua aliquid interroganti, aliud, quod utilius est respondetur. Ut Cicero: *An fustibus vapulasti? Et innocens quidem.* Item. *Hominem occidisti? Imo latronem & parricidam.*

Plura & longiora ejus figuræ exempla vide Pro Roscio Amerino Nro 143. Pro Murena Nro 73. Pro Flacco Nro 4.

SUBJECTIO.

Quid est Subjectio. Subjectio est figura, qua Orator vel interrogat se ipsum, & respondet sibi, vel dum interrogat alium, non expectat ejus responsum, sed aliquid de suo addit. Ita Cicero pro Lege Manilia Nro 61.

Quid tam novum quam Adolescentulum privatum, exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit; huic præesse? præfuit; rem optime ductu suo gerere? gessit.

Item de Haruspi: Respon: Nro 23. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? ecqua mente? quâ invaseras; Quâ manu? quâ disturbaras; quâ voce? quâ incendi jusseras; quâ lege? quam in illa tua quidem impunitate scripseras.*

Habes alia hujus figuræ exempla. Pro Quintio Nro 43 44. 79. Pro Roscio Amerino Nro 54. 74. In Rullum Nro 45. Verr: IV. Nro 192

Ex Livio. *Pro Deum fidem! quid vobis vultis? Tribunos plebis concupistis? concordiæ causa*

con-

concessimus. Decemviros desiderastis? creari passi sumus. Decemvirorum vos pertæsum est? coegimus abire Magistratu.

Jubes esse liberos? erimus. Jubes quæ sentimus proferre in medium? proferemus. *Ex Plinio.*

At quomodo objecit? non possum dicere. Quid ergo est? primum magnitudo periculi &c. At quis erat procurator? credo &c. *Formulæ Subjectionis Ciceronianæ?*

Nota tres præcedentes figuræ usurpantur maxime cum vehementius urgendus est adversarius.

§. II.

De Anteoccupatione, Correctione & Dubitatione.

Anteoccupatio.

Anteoccupatio est figura, qua id occupat Orator, quod ab Adversario posset objici. *Quid est Anteoccupatio?*

Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi Viri, quorum virtutes literis proditæ sunt; istane doctrina, quam tu laudibus effers eruditi fuerunt? Difficile hoc est de omnibus confirmare; sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos & moderatos & graves existisse fateor: etiam illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam, confirmatioque doctrinæ; tum illud nescio quid præ- *Exempla ex Cicerone.*

clarum ac singulare solere existere. Pro Archia Poeta Nro 15.

Plura eaque eximia hujus figuræ exempla vide Pro Cælio Nro 39. Pro Rabirio Nro 1. Pro Sextio Nro 4. Pro Lege Manilia Nro 22. Verrina VII. Nro 2.

Ex Curtio. *At enim Equitum peditumque multitudo vos commovet? Testis adversus multitudinem invicti Macedonum roboris Granicus amnis & Cilicia inundata cruore Persarum, & Arbela, cujus campi devictorum a nobis ossibus strati sunt.*

Ex Plinio. *Sed parum est ut in curiam venias, nisi & convoces. Ut intersis Senatui, nisi & præsideas. Vis illud augustissimum Consulum tribunal aliquando Majestati tuæ reddere? Ascende. Vis constare reverentiam Magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam postulantibus? adi.*

Formulæ Ciceronianæ hujus figuræ: *Forsitan quæretis? Forte dicet quis? Etiam dicere audebis? Ac etiam sunt qui dicant. Reprehendo igitur? minime vero.*

Nota: hæc figura ad solide aliquid confirmandum vel refutandum plurimum valet.

CORRECTIO.

Quid est Correctio. Correctio est figura, qua Orator dictam sententiam, aliâ magis idoneâ corrigit.

Exempla ex Cicerone. *Cajus Cæsar adolescens, pene potius puer incredibili ac divina quadem mente atque virtute, tum maxime cum arderet furor Antonii .... firmissimum exercitum comparavit, Patrimonium effudit. Quamquam non sumus usi eo verbo, quo decuit; non enim effudit, sed in salute Reipublicæ collocavit.* Philip: III. Nro 3.

Item

Item Philip: II. Nro 42. *Hæc ut colligeres homo amentissime, tot dies in altera villa declamasti. Quamquam tu quidem, ut tui familiarissimi dictitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi causâ declamitas.*

Et pro Ligario Nro 24. *Quæro quid facturi fuissetis? Quamquam quid facturi fueritis non dubitem, cum videam quid feceritis.*

Orbitas quoque mea, quod sine liberis sum, spernitur sed erro; In vobis liberos, parentes, consanguineos habeo. Vobis salvis orbus esse non possum. *Ex Curtio.*

Quamquam quid loquor? Sed quid ego de illis omnibus? Quas illæ leges; si leges nominandæ sunt. &c. *Formulæ Correctionis Ciceronianæ.*

Dubitatio.

Dubitatio est figura, in qua Orator quasi fluctuans, fingit nescire se, quid sibi agendum dicendumve sit. *Quid est Dubitatio?*

Quid primum quærar? aut unde potissimum exordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populine Rom: vestramne, qui summam potestatem habetis hoc tempore fidem implorem? *Exempla ex Cicerone.*

Item pro Quintio Nro 56. *Quo te nomine appellemus? num malitiosum? negas. Fraudulentum? id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. Audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt, res autem nova & inaudita.*

Plura hujus figuræ exempla vide Verrina VI. Nro 88. Verrina II. Nro 37. Philip: XI. Nro 19. Pro Cluentio Nro 4.

Apud vos quemadmodum loquar, nec consili- *Ex Livio.*

ſilium, nec Oratio ſuppeditat. Quos, nec quo nomine quidem appellare debeam, ſcio. Cives? qui a Patria deſciviſtis. Milites? qui Imperium auſpiciumque abnuiſtis, Sacramenti religionem rupiſtis. Hoſtes? Corpora, ora, veſtitum, habitum, Civium agnoſco. Facta, dicta, conſilia, animos, hoſtium video.

Ex Curtio. *Sed jam non verba punienda ſunt, linguæ temeritas pervenit ad gladios..., Quo me conferam milites? cui caput meum credam? Unde præſidium petieram, periculum extitit. Quam feliciter in acie occidiſſem potius hoſtis præda, quam Civis victima.*

Ex Plinio. *Initium mirer, an finem? multum eſt quod perſeveraſti, plus tamen quod timuiſti, ne perſeverare poſſes.*

Formulæ Dubitationis Ciceronianæ. *Quo te nomine appellemus? Quid ergo eſt? Vereor me hercule. Illud vero quid ſit? Quid agam Judices? Quo accuſationis meæ. &c.*

Uſus hujus figuræ in omni genere dicendi ampliſſimus eſt. In genere Exornativo, quando ea rerum geſtarum aut virtutum alicujus & ornamentorum ubertas & magnitudo occurrit, ut Orator fingat neſcire, unde potiſſimum debeat ordiri & quid primum dicere. In genere Judiciali, cum indignitas alicujus facinoris eſt exaggeranda, aut multitudo vitiorum redarguenda. In genere Deliberativo, quando rei gerendæ tot occurrunt rationes, ut quam primo loco ponat, fateatur Orator ſe omnino neſcire.

§. III.

De Communicatione, Apoſtrophe & Proſopopæja.

Communicatio.

Communicatio est figura qua Orator, eosdem ipsos apud quos vel contra quos dicit, consulit ac compellat. *Quid est Communicatio?*

Nunc ego judices jam vos consulo, quid mihi faciendum putetis, id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. Verr: II. Nro 32. *Exempla ex Cicerone.*

Et pro Rabirio Nro 22. *Tu denique Labiene! quid faceres tali in re ac tempore? quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus sectam sequi, cujus potissimum imperio parere velles.*

Invenies alia hujus figuræ exempla Pro Cæcin: Nro 32. 35. Pro Quinctio Nro 54. Pro Sextio Nro 43. 81. Pro Domo sua Nro 130. Philip: II. Nro 34.

Num ullam authoritatem ejus literæ habuerunt? Ego ipse quoties quæ audieram detuli, cum ludibrio crudelitatis repulsus sum. Si & cum indicamus invisi, & cum tacemus suspecti sumus; quid facere nos oportet? Finem facio dicendi, quoniam ultima verba gravia sunt auribus vestris. *Ex Curtio.*

Fortasse sufficiat tibi tertius consulatus? id nobis tanto minus sufficit. *Ex Plinio.*

Quid tu Vir optime? ecquid habes, quod dicas, ausculta mihi, vide ne tibi desis? Si hæc gesta non audiretis, sed picta videretis &c. *Formulæ Communicationis Cicer:*

Hæc figura plurimum valet, cum causæ nostræ confidimus, & adversarium refellimus.

Apostrophe.

Apostrophe est figura, qua Orator conver- *Quid Apostrophe?*

postrophe. tit Orationem ſuam vel ad DEUM, vel ad Judices, vel ad Adverſarios, vel etiam ad res inanimales.

Exempla ex Cicerone. *O Dii immortales! Vos enim hæc audire cupio; Clodius veſtra Sacra curat? Veſtrum Numen horret? res omnes humanas religione veſtra contineri putat? Hic non illudit authoritati horum omnium qui adſunt ſummorum virorum? Non veſtra Pontifices gravitate abutitur? ex iſto ore religionis verbum excidere aut elabi poteſt.* Pro Domo ſua Nro 104.

Item Verr: VII. Nro 122. ad Judices: *Per Deos immortales, Judices! quo tandem animo ſedetis? aut hoc quem admodum auditis? Utrum ego deſipio, & plus, quam ſatis eſt, doleo in tanta calamitate miſeriaque ſociorum? An vos quoque hic acerbiſſimus innocentium cruciatus & mæror pari ſenſu doloris afficit?*

Item pro Ligario Nro 9. ad Adverſarios: *Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? quid cupiebas, quid optabas?*

Item pro Milone Nro 85. *Vos enim jam Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro atque teſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum Populi Romani ſociæ & æquales.... veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit. &c.*

Plura ejus figuræ exempla vide Catilin: I. Nro 33. Pro Cælio Nro 59. Philip: II. Nro 33. 82. Pro Ligario Nro 6. Pro Muren: Nro 78. Verrina I. Nro 35. Prô Roscio Ameri-

no Nro 144. Pro Balbo Nro 13. Verr: VII. Nro 170. Philip: II. Nro 32.

Jupiter optime, maxime, Junoque Regina, ac Minerva cæterique Dii, Deæque, qui Capitolium Arcemque incolitis; ſiccine veſtrum militem ac præſidem ſinitis vexari ab inimicis? Hæc dextra, qua Gallos fudi a Delubris veſtris, jam in vinculis & catenis erit? *Ex Livio.*

Ergo Chariſſime Pater & propter me morieris & mecum? ego tibi vitam adimo; ego ſenectutem extinguo; Quid me procreabas infelicem averſantibus Diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Neſcio Adoleſcentia mea miſerior ſit; an ſenectus tua. *Ex Curtio.*

Valet hæc figura, ut ex adductis exemplis patet, tum ad increpandos acrius adverſarios, tum ad commiſerationem commovendam.

Prosopopæja.

Proſopopæja eſt fictio perſonæ, ſeu figura, qua Orator Perſonæ abſenti, vel mortuæ, aut etiam rei ſenſu carenti, ſermonem tribuit. *Quid Proſopopæja.*

Sic Cicero Milonem abſentem, cum Patria & ſecum loquentem inducit: Nro 93. *Me quidem judices exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſidue & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, Cives mei, valeant, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, mihique Patria chariſſima quoquo modo merita de me erit. Tranquillâ Republicâ Cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me* *Exempla ex Cicerone.*

ipſi,

ipsi, sed per me tamen perfruantur: Ego cedam atque abibo; si mihi Republicâ bonâ frui non licuerit, at carebo malâ.

Item in Antonium. Brutum mortuum sic loquentem inducit: *Quodsi nunc ille Brutus reviviscat, & hic ante vestros pedes adsit, nonne hac uteretur Oratione: Ego Reges ejeci, vos tyrannos introducitis? Ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam servare non vultis?*

Denique rebus etiam inanimatis & sensu carentibus sic sermonem tribuit Catilin: I. Nro 18 *Quæ* (Patria) *tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur; Nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum Civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. Tu non solum ad negligendas leges & quæstiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui, tuli; Nunc vero me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat; non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe. Si verus est, ne opprimar: sin falsus; ut tandem aliquando timere desinam.*

Similia plurima hujus figuræ exempla vide Pro Murena Nro 38. 45. Pro Plancio Nro 12. In Pison Nro 59. Pro Cælio Nro 33. 36. Verrina IV. Nro 19. Catilin: I. Nro 27. & 28.

Ex Livio. Similiter Livius inducit strenuum militem sic jam post mortem loquentem: *Ego*

ter

ter & vicies cum hoste per provocationem pugnavi; ex omnibus, cum quibus manum conserui spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus omnibus adverso corpore exceptis, habeo. Ego hoc ferro sæpe vexatum corpus, vetus miles adolescentibus ostendi.

Nota hæc figura non vulgarem eloquentiæ vim habet ad objurgandum, laudandum & miserandum, ad quam etiam reducitur Dialogismus, seu duarum aut plurium personarum inter se collocutio, Qualis est apud Ciceronem Pro Quintio Nro 71. 77. & Verr: VII. Nro 109.

§. IV.

De Hypotyposi Ethopœja & Sustentatione.

Hypotyposis.

Hypotyposis, est tam viva rei alicujus descriptio, ut cerni oculis potius, quàm audiri vel legi videatur. *Quid est Hypotyposis.*

Ipse inflammatus scelere & furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; cum repente hominem corripi, atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri jubet. Clamat ille miser se Civem esse Romanum &c. Verrina VII. *Exempla ex Cicerone.*

Item Philip: II. Nro 7. *Ponite igitur ante oculos miseram illam quidem & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam: nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Tremonii domum: cum miser ille prius latronum*

gladios videret, quam, quæ res esset, audisset, furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, equuleum, carnificem, tortoremque Samarium. &c.

Plura, illaque elegantissima Hypotyposis exempla vide Pro Roscio Amerino Nro 98. Pro Milone Nro 28. Philip: II. Nro 105. Verrina III. Nro 67. 141. Verr: IV. Nro 108. Verr: VI. Nro 74. Verr: VII: à Nro 26. ad 29. & Nro 105. 141. denique in Oratione Pro Murena illustris est, eademque vehementissima gemina hypotyposis Nro 85. & 188.

Ex Livio. *Omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt, quotidie capitur urbs nostra, quotidie diripitur, dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque, qui rapiuntur atque asportantur, ploratibus sonant. Miretur, qui sciat, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos qui faciunt nondum tantarum injuriarum satietas ceperit.*

Ex Curtio. *Jacebant totis campis opes regiæ. Illa pecunia stipendio ingenti militum præparata, ille cultus tot nobilium virorum, tot illustrium fæminarum, aurea vasa, aurei fræni, tabernacula regali munificentia ornata, vehicula a suis destituta ingentis opulentiæ plena... Non sufficiebant prædantium manus prædæ.*

Ex Plinio. *Videres referta tecta, oppletas undique vias, alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium, paremque clamorem.*

Hæc figura mirum in modum valet, in narrationibus in descriptionibus locorum, rerum & personarum.

Etopæja.

Etopæja est figura, qua Orator vitam, personam, & indolem alicujus quibusdam signis ita describit, ut in cognitionem ejusdem morum deducat. *Quid est Etopæja.*

Quorum si nondum scelera vulneraque inusta Reipublicæ vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini, facilius facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis. Alter unguentis affluens, calamistrata coma.... Alter o Dii boni quam teter incedebat, quam truculentus, quam terribili aspectu! &c. Pro Sextio Nro 19. *Exempla ex Cicerone.*

Et pro Roscio Amer: Nro 135. Ipse verò quemadmodum imposito & dilibuto capillo passim per forum volitet, cum magna caterva togatorum; videtis Judices, ut omnes aspiciat, ut hominem præ se neminem putet, ut se solum rarum, solum potentem putet.

Plura hujus figuræ exempla vide Pro Comædo Nro 20. In Rullum Nro 13. Post reditum in Senatu Nro 12. Verrina VII. Nro 27.

Me jam non eundem, sed umbram nomenque relictum videtis. Virus corporis effætæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus. *Ex Livio.*

Ipse occursu visuque terribilis; superbia in fronte, ira in oculis, fæmineus pallor in ore, in corpore impudentia, multo rubore suffusa. Non adire quispiam, non alloqui audebat tenebras semper secretumque cap- *Ex Plinio.*

tantem, nec unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi ut ſolitudinem faceret.

SUSTENTATIO.

Quid eſt Suſtentatio? Suſtentatio eſt figura, qua Orator ſuſpenſos tenet aliquamdiu Auditorum animos, donec aliquid inexpectatum ſubjungat.

Habes illuſtre figuræ hujus exemplum Verrina VII. Nro 10. & 11. *Res delata ad iſtum; ut par fuit, juſſu ejus homines, qui nominati fuerant, comprehenſi adductique Lilybæum; Domino denunciatum eſt ut adeſſet; cauſa dicta damnati ſunt.... Etiamnum mihi expectare videmini Judices, quid deinde factum ſit; Expectate facinus, quam vultis improbum, vincam tamen expectationem veſtram, nomine ſceleris conjurationisque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati, repente multis hominum millibus inſpectantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi Domino redditi.*

Elegantiſſima eſt illa ſuſtentatio, quæ dubitationem adjunctam habet, quæque allatis multis rebus, iiſdemque rejectis, novum tandem aliquid & minime expectatum ſubjicit; quod videre eſt apud Ciceronem Philip: II. Nro 2. *Quid putem contemptumne me? Non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quod deſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillime de me detrahi poſſe credidit? Qui Ordo Clariſſimus Civibus bene geſtæ Reipublicæ, teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium*

cium est; quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me & contra Antonium dicere? Illud profecto est: non existimavit, sui similibus probari posse, esse se hostem Patriæ, nisi mihi esset inimicus.

Habes alia sustentationis exempla Pro Roscio Amerino Nro 39. Pro Quintio Nro 66. In Rullum Nro 11. Pro Dejotaro Nro 26.

Cognitorem adscribit Sthemo, quem? cognatum aliquem aut Propinquum? non. Aliquem honestum hominem? ne id quidem. *Formulæ sustentationis Ciceronianæ.*

Item: *Amandat hominem, quo? Lilybæum fortasse... minime judices; Panormum igitur?... Ne Panormum quidem. Quid igitur, quid putatis?* &c.

§. V.

De Aposiopesi, Præteritione & Licentia.

Aposiopesis.

Aposiopesis est figura, qua Oratio intercīditur, alicujus gravioris affectûs significandi gratiâ. *Quid Aposiopesis.*

Sic Cicero ad Heren: *Tu, qui nuper alienæ domus.... non ausim dicere, ne cum te digna dixero, me indigna dixisse videar.*

Et pro Cælio Nro 69. *Hic etiam miramur si illam commentitiam pixidem, obscænissima sit fabula consecuta. Nihil est, quod in ejusmodi mulierem cadere non videatur; audita, & pervulgata, & celebrata sermonibus res est. Percipitis animis Judices jam dudum quid velim, vel potius, quid nolim dicere.... quod etiam si est factum, certe a Cœlio non est factum.*

Ille

Formulæ hujus figuræ Ciceronianæ. *Ille vero . . . sed stomachari desinamus.* Item *Si morem gesseris? primum feres. Sin?... Sed non ero hodie asperior.* &c.

PRÆTERITIO.

Quid Præteritio? Præteritio, (quæ Ciceroni videtur præ cæteris in deliciis & amore fuisse;) est figura, qua Orator simulat se vel nescire vel nolle dicere id, quod vel maxime dicit; mirum in modum valet, tam ad laudandum, quam ad vituperandum. Sic Cicero suum Pompejum magnifice laudat per præteritionem: *Itaque non sum prædicaturus Quirites, quantas ille res, domi militiæque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut ejus semper voluntatibus non modo Cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint; sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam* &c. *e contra.* Verrina III. Nro 32. 33. Sic Verrem vituperat:

Itaque primum actum istius vitæ turpissimum & flagitiosissimum prætermittam; nihil a me de suæ pueritiæ flagitiis audiet, omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur, neque solum, quid istum audire, verum etiam quid me deceat dicere, considerabo. Vos quæso date hoc & concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim.

Habes alia hujus figuræ exempla. Verr: I. Nro 26. 29. Verr: II. Nro 14. Verr: III. Nro. 75. 128. In Rullum Nro 21. Pro Flacco Nro 79. In Pison: Nro 38. 87.

Ex Livio. *Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites; a Punicis bellis incipiam: quot Classes,*

quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Jam quid hoc bello memorem? omnibus aut ipse adfui cladibus, aut quibus absui, maxime unus omnibus eas sensi.

Omittam Illyricos, Triballos, Bœotiam, Traciam, Spartam, Peloponesum, quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioque perdomui. Ecce orsi bellum ab Helesponto &c. *Ex Curtio.*

Sed jam hoc totum omitte. Sentio moderandum esse orationi meæ, non tibi objicio: Hic nolite expectare dum ego hæc crimina. &c. Non versabor in uno genere. Nunc agam modice, nec longius progrediar. Sinite me hoc loco prætetire. Possem multa dicere. Prætereo; non dico, non commemoro. *Formulæ præteritionis Cicer:*

LICENTIA.

Licentia est præsumpta Orationis in dicendo libertas; dum scilicet dicit aliquid audacius apud eos, quos revereri & metuere deberet. *Quid est Licentia?*

Attende jam, Torquate, quàm ego non defugiam auctoritatem Consulatus tui. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam; adeste omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor, erigite mentes auresque vestras, & me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Pro Sylla Nro 33. *Exempla Ex Cicerone.*

Et pro Domo sua. *Quare Rempublicam; disrumpatur licet ista furia* (Clodium intelligit) *atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit, bis servavi; & cum Consul togatus armatos vici; & cum privatus armatis cessi.*

Plu-

Plura hujus figuræ exempla vide Pro Mil: Nro 33. Pro Sylla Nro 46. & 47. In Rull: Nro 23. Phil: X. Nro 8. Verr: VII. Nro 153.

Ex Livio. *Quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I lictor! colliga manus, quæ paulo ante armatæ, Imperium Populo Romano pepererunt; i, caput obnube liberatoris hujus urbis; arbori infelici suspende.*

Ex Curtio. *Tu hercule (si verum audire vis) Rex! hujus nobis periculi causa es, quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi.*

Ex Plinio. *Assuescat Imperator, cum Imperio calculum ponere, sic exeat, sic redeat, tanquam rationem redditurus ... Præterea futuri Principes velint, nolint, sciant. &c.*

Formulæ Licentiæ Cicer: *Lacesso vos, in concionem voco, Populo Romano disceptatore uti volo. Erumpat enim aliquando vera, & me digna vox. Equidem dicam ex animo quod sentio. Vide, quid licentiæ Cæsar, tua nobis liberalitas det, aut potius audaciæ.*

Usurpatur hæc figura ad ostendendam fiduciam, ad objurgandum, ad insultandum Adversario. Interdum etiam assentationi deservit. Ut pro Marcello Nro 26.

Nunc cum omnium salutem civium cunctamque Rempublicam res tuæ gestæ complexæ sunt, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.

§. IV.

§. VI.

De Concessione, Deprecatione, Imprecatione.

Concessio.

Concessio est figura, qua Orator aliquid etiam iniquum causæ suæ videtur concedere, ut exinde acrius in adversarium insurgat. *Quid est Concessio?*

Utrum quid agatur non vides? aut apud quos agatur? Agitur de parricidio, quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur, qui intelligunt, neminem, ne minimum quidem maleficium sine causa admittere. Esto: causam proferre non potes; tametsi vicisse debeo; de meo jure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quero abs te, quare Patrem Sextus Roscius occiderit; quæro quomodo occiderit? *Exempla ex Cicerone.*

Et Verr: IV. Nro 46. *Verum esto: eripe hæreditatem propinquis, da palestribus, prædare in bonis alienis nomine Civitatis, verte leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum. Num etiam Heraclium bonis privari oportuit?*

Plura hujus figuræ exempla vide Pro Quintio Nro 56. Verr: V. Nro 28. 219. Pro Domo sua Nro 43. Pro Murena Nro 41.

Secedat nunc, avocet plebem, patet via. Rapiant frumenta ex agris nostris, utantur annona; audeo dicere &c. *Ex Livio.*

Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisque totum orbem, *Ex Curtio.*

bem, classibus maria consternat; inusitatas belluas inducat. Tu nos præstabis invictos.

Ex Terentio. *Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui Prætor fieres, quàm Catonem. Item: Tibi si istud placet? profundat, perdat, pereat; nihil ad me.*

Formulæ Concessionis Ciceronis: *Esto: verum fac. Patior non moleste. Sit ita sane. Hoc do tibi. Tamen de meo jure cedam. Ut tibi concedam hoc indignum esse. Verum quoniam id tu tibi arrogas & concedi postulas? concedamus.*

Nota multam vim habet concessio, si cum Ironia jungatur ut est Philip: II. Nro 5. *At beneficio sum usus tuo? Quo? quod me Brundusii non occideris. Quod est aliud P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint. . . . Sed sit beneficium? quandoquidem majus obtineri a latrone non potuit... An de interitu Reipublicæ queri non debui &c.*

2do. Delectat summopere concessio, cum id quod conceditur, Adversario nocet ut pro Ligario Nro 2. Habes igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem rerum; sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum Patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini necesse est; quàm Ligarii ullam culpam deprehendatis.

DEPRECATIO.

Quid est Deprecatio? Deprecatio est figura, qua Orator alicujus sive DEI sive hominis opem aut misericordiam implorat.

Quæ

Exempla ex Cicerone.

Quæ cum ita ſint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri neceſſe eſt; ab Jove Optimo, maximo, cæteriſque Diis Deabuſque immortalibus, quorum ſpe & auxilio, multo magis hæc Reſpublica, quàm ratione hominum & conſilio gubernetur, pacem ac veniam peto, precorque ab iis ut hodiernam diem, & ad hujus ſalutem conſervandam, & ad Rempublicam conſtituendam illuxiſſe patiantur. Deinde vos Quirites, quorum poteſtas maxima ad Deorum immortalium Numen accedit, oro atque obſecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii hominis miſerrimi atque innocentiſſimi; ſalus Reipublicæ veſtris manibus ſuffragiiſque permittitur; adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in Reipublicæ ſalute Sapientiam quam ſoletis. Pro Rabirio Nro 5.

Plura hujus figuræ exempla vide: Verr: VII. Nro 183. Pro Quintio Nro 10. Pro Roſcio Amer: Nro 11. Pro Domo ſua Nro 146. Pro Murena Nro 86.

Ex Livio.

Per Te, patriumque nomen, quod utri noſtrum ſanctius ſit, jam pridem ſentis, ita me audias precor, tanquam ſi voce & comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interveniſſes.

Ex Curtio.

Per ego vos decora majorum, qui totius Orientis regna cum memorabili laude tenuerunt, per illos Viros, quibus ſtipendium Macedonia quondam tulit, per tot navium claſſes in Græciam miſſas per tot trophæa Regum oro & obteſtor; ut nobilitate veſtra Gentiſque dignos ſpiritus capiatis, ut eadem

con-

constantia animorum, qua præterita tolerastis, experiamini, quidquid deinde fors tulerit.

Adhibetur hæc figura potissimum in Perorationibus, quia nata est tota ad movendos affectus; ut videre est in Perorationibus Ciceronis pro Murena, pro Rabirio, Cælio, Cluentio, Dejotaro.

IMPRECATIO.

Quid est Imprecatio. Imprecatio est figura qua Orator malum alicui imprecatur.

Exempla ex Cicerone. *Dii te perdant fugitive, ita non modo nequam & improbus, sed fatuus & amens es.* Pro Dejotaro.

Et Pro Antonio Philip: XIII. Nro 48. *Quin tu abi in malam pestem, malumque cruciatum! ad te quisquam veniat?*

Ex Plinio. *Ereptum alienas pecunias eunt? Perdant, quas habent. Expellere penatibus gestiunt! suis exturbentur.*

Valet hæc figura ad significandum odium & indignationem, rarius tamen ab Oratoribus, frequentius a Poetis usurpatur.

§. VII.

De Antithesi, Exclamatione & Epiphonemate.

ANTITHESIS.

Exempla ex Cicerone. Antithesis est figura, in qua vel verba verbis, vel sententiæ sententiis opponuntur. Spectat proinde tam, ad Verborum, quam ad Sententiarum figuras.

Est enim hæc non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Pro Mil: Nro: 10. *Exempla ex Cicerone.*

Et Catilin: II. Nro 25. *Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hic fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus, hic honestas, illinc turpitudo; hinc continentia illinc libido. Denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum temeritate, cum vitiis omnibus.*

Vide alia hujus figuræ illustria exempla Verrina VI. Nro 121. Pro Roscio Amerino Nro 13. Pro Cælio Nro 12. Pro Leg: Nro 15.

Quod ad me attinet, jam ætas senem in Patriam revertentem, unde puer profectus sum; jam secundæ jam adversæ res, ita erudierunt, ut rationem sequi, quàm fortunam malim. *Ex Livio.*

Non de Tyranno sed de Rege loquimur, non de Domino, sed de Parente, qui non crudelitatis sed amoris excubiis defenditur. *Ex Plinio.*

Ejusdem etiam generis est memorabile illud dictum Augusti jam ætate provecti ad nobiles quosdam juvenes, qui tumultuabantur. *Audite Juvenes Senem, quem Juvenem senes audivere.*

Jllustris est hæc figura, si e re nata occurrat, nec studio longe accersita videatur.

Ex-

EXCLAMATIO.

Quid est Exclamatio. Exclamatio est figura, qua Orator, vehementem aliquem affectum, cujuscunque tandem generis ille sit; significat.

Nihil tam obvium apud Ciceronem, quam hæc figura; quare satis habebimus illustriora quædam illius exempla, quibus varios exprimit affectus, designare.

Exempla ex Cicerone. Oratione prima in Catilinam per summam indignationem sic exclamat: *O tempora, o mores! Senatus hæc intelligit, Consul videt; hic tamen vivit; Vivit? imo vero etiam in Senatum venit.* & ibidem Nro 9. *O Dii immortales, ubinam gentium sumus? quam Rempublicam habemus? in qua urbe vivimus.*

Et pro Cælio: *Proh Dii immortales, cur interdum in hominem sceleribus maximis aut connivetis, aut præsentis fraudis pœnam in dies reservatis.*

Misericordiam sic conciliat Pro Sylla: *O miserum & infelicem diem illum! quo Consul omnibus centuriis P. Sylla renunciatus est; o fallacem, o volucrem fortunam! o cæcam cupiditatem! o præposteram gratulationem! quàm cito illa omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrimas redierunt.*

Et pro Milone: *O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam, si ejecerit, miseram, si amiserit.*

Odium & invidiam concitat. Oratione pro Roscio Amerino Nro 146. *Per Deos immortales! quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis unquam præ-*

prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut cum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet.

Dolorem sic elicit in Anton: *O miserum me, consumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.*

Ironiam jungit Exclamationi Oratione in Pisonem Nro 98. *O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Scipiones, Marcellos! O amentem Paulum! rusticum Marium! nullius consilii Patres istorum amborum Consulum, qui triumpharunt.*

Et Philip: III. *O præclarum custodem Ovium, ut ajunt Lupum! Custosne urbis an direptor & vexator esset Antonius!*

O Patria! ferrum, quo pro te armatus, hanc arcem defendere volebam, hosti minime parcens, quando Parens extorquet, recipe. *Ex Livio.*

O novum atque inauditum ad principatum iter! quanta Religio æquitatis? quanta legum reverentia? o rem memoriæ literisque mandandam! *Ex Plinio.*

Nota: Exclamatio adjunctam ferme habet aliquam ex hisce interjectionibus: *O! heu! ah! vah! proh superi! proh superum atque hominum fidem!* Persæpe tamen subintelligitur interjectio; ut: *Miserum me! Hoccine sæculum!* Veteres pro interjectione O! sæpe adhibebant voces istas: *Ædepol! Hercle! Mehercule! Jupiter! Medius fidius! Me Castor!*

Exclamatio non solet, nisi post rem aliquam insignem bene amplificatam & probatam

tam adhiberi. Exclamare enim in rebus minutis frigidum omnino eſt, ac puerile.

EPIPHONEMA.

Quid eſt Epiphonema? Epiphonema eſt Exclamatio ſententioſa, quæ fieri ſolet poſt rem aliquam inſignem narratam & probatam.

Exempla ex Cicerone. Pro Milone Nro 9. Poſtquam laudavit adoleſcentis cujuſdam pudicitiam, qui Tribunum militarem Jmperatoris propinquum, vim ſibi inferentem, interfecerat, ſubdit: *Facere probus Adoleſcens periculoſè, quàm perpeti turpiter maluit.*

Et pro Sextio Nro 86. Poſtquam docuit, oportere legibus ac judiciis vitam tueri, quod ſi fieri non poſſit vim vi propulſandam; ſubdit: *Hoc ſentire, prudentiæ eſt; facere, fortitudinis; ſentire vero & facere, perfectæ cumulatæque virtutis.*

Et Paradoxo I. poſtquam parſimoniam multis extulit laudibus; concludit: *Dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia.*

Ex Curtio. *Adeo pavor etiam auxilia formidat.* Item: Tantulo impendio ingens victoria ſtetit.

Ex Plinio. *Ita nemo exiſtit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur* Item. *Adeo nullà magis omnibus diſplicent, quàm quæ ſic fiunt, tanquam omnibus placeant.*

Uſurpatur potiſſimum hæc figura, in rebus ſingulari aliqua admiratione dignis.

§. VIII.

Uſus figurarum in genere.

1mo. Uſus figurarum debet eſſe parcus & mo-

& moderatus, ne crebra hujusmodi ornamentorum usurpatio tædium generet, ac puerilitatem redoleat.

2do. Inter figuras, aliæ docent, aliæ delectant, aliæ movent magis.

Anteoccupatio, Subjectio, Concessio, Correctio, Sustentatio, Antithesis; Communicatio. *Docent:*

Apostrophe, Hypotyposis, Prosopopæja; Ethopæja, Hiperbole. *Delectant:*

Exclamatio, Dubitatio, Obsecratio seu Deprecatio, Imprecatio. Interrogatio, Præteritio, Licentia, Epiphonema. *Movent:*

3tio. Quædam figuræ sunt quæ sparsim adhiberi possunt in omnibus Orationis partibus, ut sunt: Communicationes, Apostrophæ; aliæ sunt singularum Orationis partium magis propriæ; scilicet: quæ ad docendum valent; pertinent ad Exordium; quæ ad delectandum: pertinent ad Confirmationem & Confutationem; quæ ad movendum: pertinent ad Perorationem. Quæ tamen non ita scrupulose intelligenda sunt, ut non liceat aliquando ordinem hunc immutare.

4to. Nonnullæ figuræ sunt, quæ statim initio Orationis usurpantur, ut Interrogationes, Apostrophæ. Nonnullæ, aliquam veluti præparationem requirunt, ut Exclamationes, Hypotyposes, Prosopopæjæ & aliæ vehementiores, quæ non usurpantur nisi post probatas & explicatas res graviores, quasque absurdum esset statim ab initio alicujus Orationis adhibere; nisi adhibendum sit aliquando Exordium ex abrupto.

Denique nulla re magis potest de recto

figurarum usu judicari; quam frequenti Ciceronis lectione, qui figuras suis quibusque locis sic accomodat, ut ad eadem pertractanda, facta & nata quodammodo videantur.

CAPUT IV.

DE AMPLIFICATIONE.

Cum Elocutio Oratoria, non ornata tantum, sed rei etiam de qua dicitur, accomodata, & numerosa esse debeat; fiat autem ornata per tropos & figuras; accomodata, per rationes & argumentationes; numerosa per amplificationes & periodos; Ordo rei postulat ut postquam de tropis, figuris, & argumentationibus in superioribus tractavimus; aliqua in sequentibus de Amplificatione adjiciamus. Quod autem Periodos spectat; harum struendi artificium; in Classe humanitatis communiter tradi solet.

Quid est Amplificatio? Amplificatio prout a Cicerone definitur *Est gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*. Seu est vehementius quoddam, copiosiusque dicendi genus, quo rei vel dignitatem & amplitudinem, vel indignitatem & atrocitatem verborum & sententiarum pondere ita demonstramus, ut feriat animos, permoveat affectus, & memoriæ audientium penitus infideat.

Quotuplex est Amplificatio. Amplificatio duplex est, alia est amplificatio verborum, alia rerum.

§. I.

§. I.

De Amplificatione Verborum.

Verba, quibus amplificatio conſtare debeat hæc præſertim recenſet Tullius Libr: Partitionum Oratoriarum Nro 53. *Eſt igitur amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem; Ea & verborum genere conficitur & rerum. Verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, gravia, plena, ſonantia, ſuperlata, imprimiſque translata. . . . . Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, & ea quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora &c.* De his operæ pretium eſt pauca dicere, & ſingula illuſtrioribus quibuſdam exemplis commendare.

Quibus verbis conſtare debeat Amplificatio?

Amplificatio per verba graviora & illuſtriora.

Amplificatio per verba graviora & illuſtriora fit, cum adhibentur verba ſplendida, quæ rem ſignificantius exprimant, & in quibus plenum quiddam, numeroſum & ſonans eſſe videatur. Sic Cicero; brevem hanc ſententiam: *Memoria poſteritatis, brevitatem vitæ noſtræ conſolatur*. Pro Milone Nro 97. Sic gravioribus & illuſtrioribus verbis amplificat: *Ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam, eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ, poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret; ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in cælum videantur aſcendere.*

Quomodo fit Amplificatio per verba graviora & illuſtriora?

Similiter hanc: *Cupio ut me laudes* Sic amplificat ad Lucejum: *Ardeo cupiditate incredibili, neque ut ego arbitror reprehendenda, nomen ut nostrum, scriptis illustretur & celebretur tuis.*

Porro verba illa graviora sunt, quæ majorem vim virtutis alicujus aut vitii ostendunt, ut charitas & pietas, gravius aliquid sonant, quam amor & benevolentia, Item Raptor, latro prædo parricida, gravius sonant quàm fur homicida &c. Sic Cicero Lib: 1. Epi: 9. *Perjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, ex quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem, quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum sanctissimum & gravissimum nomen pietatis, levius mihi meritis erga me tuis esse videatur.*

Et in Verrem *Non enim furem sed raptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum, Religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem Civium sociorumque, in vestrum judicium adducimus.*

Amplificatio per verba Superlata.

Quomodo fit amplificatio per verba Superlata.

Amplificatio per verba superlata fit; cum adhibentur ejusmodi verba, quæ veritatem superant, sive plus dicunt, quam res in se esse possit.

Ut Cicero pro Lege Manilia Nro 28.

Qui extrema pueritia, miles fuit summi Imperatoris; ineunte adolescentia, maximi ipse exercitus Imperator; qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam cæteri lege-

legerunt, plures Provincias confecit, quam alii concupiverunt. Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita.

In quo exemplo vide quam copiose, quam graviter amplificet Cicero brevissimam hanc sententiam. *Pompejus fuit rei militaris peritissimus.*

Plura similia exempla vide In Pison: Nro 53. Pro Milone Nro 105. Pro Archia Nro 19. Pro Marcello Nro 8.

Amplificatio per verba translata.

Amplificatio per verba translata fit, cum adhibentur ejusmodi verba, quæ a propria significatione ad alienam propter similitudinem transferuntur. *Quomodo fit amplificatio per verba translata?*

Sic Cicero hanc sentententiam. *Nemo potest res tuas gestas satis laudare.* amplificat per verba translata Oratione pro Marcello Nro 4. *Nullius est tantum flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare C. Cæsar res tuas gestas possit.*

Similiter hanc sententiam: *Sola virtus est stabilis.* Philip: 4. Nro 13. sic amplificat: *Virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nunquam vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.*

Plura hujusmodi exempla vide superius sub Tropis Metaphora, & Allegoria.

Am-

Amplificatio per Repetitionem.

Quomodo fit Amplificatio per Repetitionem?

Amplificatio per Repetitionem fit, dum eadem verba, aut ornatûs, aut vehementioris motus excitandi caufa, iterantur.

Sic Cicero Pro Mil: Nro 91. *Excitate, excitate eum fi poteſtis ab inferis.* Item *Matrem tuam occidiſti; Quid dicam amplius, Matrem tuam occidiſti.*

Et pro Rofcio Amerino: *Accufant ii, qui in fortunas ejus invaferunt, caufam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accufant ii, quibus occidi Patrem Sexti Rofcii bono fuit; caufam dicit is, cui non modo luctum mors Patris attulit, verum etiam egeſtatem. Accufant ii, qui hunc ipfum jugulare fumme cupiebant; caufam dicit is, qui etiam ad hoc ipfum judicium cum præfidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accufant ii, quos populus pofcit; caufam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cœde reſtat.*

Similia alia exempla vide fupra, ubi de figura Repetitionis tractatur.

Amplificatio per Periphrafim feu Circumlocutionem.

Quomodo fit Amplificatio per periphrafim?

Amplificatio per Periphrafim fit, cum longiori verborum ambitu, circuituque effertur id, quod brevius ac fimplicius dici poterat. Sic Cicero: Philip: II. *Tu ingredi illam domum aufus es? Tu illud Sanctiffimum limen intrare, tu illarum ædium Diis penatibus os illud importuniffimum oſtendere.*

Et

Et pro Milone cum brevius potuisset dicere Clodium a Milone fuisse occisum; maluit illud hac verborum circuitione efferre: *In quos incensos ira, vitamque Domini desperantes, cum incidisset, hæsit in pœnis, quas ab eo servi fideles, pro Domini vita expetierunt.*

Nota: ad hoc amplificationis genus refertur etiam amplificatio per verba synonyma, sive idem fere significantia. Ut Cicero *An vero judices vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato Civitatis sermone versantur.*

Et Catil: 1. Nro 10. *Quæ cum ita sint Catilina, perge quo cœpisti, egredere tandem aliquando ex urbe. patent portæ; proficiscere... nobiscum versari jam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam.*

Plura exempla vide supra ubi de Synonymia tractatur.

§. II.

De Amplificatione Rerum.

Hactenus de verbis egimus ex quibus amplificatio constat, reliquum est; ut de rebus, seu de locis ex quibus eruitur amplificatio, dicamus. Nam illa etsi ex omnibus tum intrinsecis, tum extrinsecis locis peti possit; potissimum tamen fit. *1mo* Per congeriem Definitionum seu per Definitiones conglobatas. *2do.* Per congeriem Adjunctorum. *3tio.* Per congeriem seu Enumerationem partium. *4to.* Per congeriem cau-

sa-

farum & effectuum *5to*. Per congeriem consequentium. *6to*. Per congeriem Similium, Comparationum, Exemplorum. *7mo*. Per Contrariorum, Diffimilium & inter fe pugnantium conflictionem.. Denique per Incrementum. Singula hæc capita fingillatim perfequamur.

Amplificatio per Congeriem Definitionum.

Quid eft Amplificatio per congeriem Definitionum?

Amplificatio per congeriem Definitionum eft illa, in qua variæ ejufdem rei definitiones coacervantur.

Sic Cicero Curiæ & Senatus Romani Majeftatem amplificat per definitiones conglobatas Pro Milone Nro 90. *Quo quid mi-ferius, quid acerbius, quid luctuofius vidimus? Templum fanctitatis, amplitudinis, mentis, confilii publici, caput urbis, aram fociorum, portum omnium gentium, fedem ab univerfo Populo Romano conceffam uni ordini; inflammari, excindi, funeftari.*

Et Oratione pro Cluentio: amplificat leges fumma religione effe colendas coacervando varias legum definitiones: *Nam funt fundamentum libertatis, fons æquitatis. Mens & animus, & confilium & fententia Civitatis pofita eft in legibus.*

Similiter vitandam effe prodigalitatem, feu ut Tacitus loquitur prodigentiam, probabis per conglobatas ejufdem Definitiones. *Prodigalitas eft Patrimonii fortunarumque imprudens, ac immoderata largitio, eft immodica liberalitas, aut potius malus liberalitatis ufus, eft paupertatis inopiæque parens, eft flagitiorum, furtorum, rapinarum,* fe-

seditionum conjurationumque fax quædam, illitium & origo, est opum vortex, familiarum ruina, Reipublicæ detrimentum, honestatis & famæ pernicies; Prodigalitas est: quæ scit perdere, donare nescit, cujus beneficia non virtus, non decorum, non benignitas, sed casus & fortuna regunt, quæ disjicit projicitque potius, quam donat aut bene facit, quæ fraudi, assentationi ac sceleri totum, virtuti largitur nihil; quæ Patrimonia, collectasque diu a Majoribus opes abligurit, quæ ex opulentis inopes, deinde mendicos, tum Catilinario exemplo, fures, raptores, sicarios, seditiosos, & incendiarios facit &c.

Plura exempla vide Lib: 1. ubi agitur de Definitione in locis intrinsecis.

Amplificatio per Congeriem Adjunctorum.

Amplificatio ab Adjunctis est ea, quæ ducitur ab omnibus seu rerum, seu personarum, seu locorum circumstantiis simul coacervatis. *Quid est Amplificatio ab Adjunctis?*

Sic Cicero Catilinaria III. Nro 13. ab Adjunctis personarum, Conjuratos sceleris reos arguit: *Ac mihi quidem Quirites cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique unius cujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas; sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, ut non jam ab aliis judicari, sed ipsi a se viderentur.*

Habes etiam illustre comitantium adjunctorum exemplum Oratione pro Mil: Nro 54.

Si

Si hæc non geſta audiretis, ſed picta videretis, tamen apparet, uter eſſet inſidiator; uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda penulatus, una ſederet uxor, quid horum non impeditiſſimum? veſtitus? an vehiculum? an comes? quid minus promptum ad pugnam? quam penula irretitus, rhedâ impeditus uxore pene conſtrictus eſſet? Videte nunc illum, primum egredientem è villa ſubito, Cur? Veſperi; quid neceſſe eſt? tarde; qui convenit, id præſertim temporis? Divertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe. Villam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moræ & tergiverſationis? dum hic veniret, locum relinquere noluit. Age nunc iter expediti latronis, cum impedimentis Milonis comparate. Semper ille antea cum uxore, tum ſine ea; nunquam non in rheda; tum in Equo: Comites Græculi, quocunque ibat, etiam cum in caſtra Etruſca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum caſu pueros Symphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. Ille qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat; tum neminem, niſi ut virum à viro lectum eſſe diceres. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.

In quo exemplo vide, quam ſolide probat, quam copioſe ab adjunctis perſonarum, locorum, temporum amplificat Cicero Miloni à Clodio ſtructas fuiſſe inſidias. Plu-

Plura ejuſmodi Exempla vide Pro Sylla Nro 52. Pro Flacco Nro 99. Philip: II. Nro 63, 66. Verr: VII. Nro 160

Et in noſtra Rhetorica Libro I. ubi tractatur de Adjunctis.

Amplificatio per Congeriem ſeu Enumerationem Partium.

Quid eſt Amplificatio per enumerationem Partium?

Amplificatio per enumerationem partium fit, dum totum aliquod in ſuas partes diſtribuitur, ſeu dum rei alicujus partes vel omnes, vel præcipuæ quædam, ſingillatim enumerantur.

Sic Cicero Oratione in Piſonem Nro 96. magna ſermonis ubertate oſtendit Piſonem mortalium omnium ſententiis eſſe damnatum: *An ego expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo jam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt? Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? Omnes memoriam conſulatûs tui, facta, mores, faciem denique ac nomen à Republica deteſtantur; Legati qui una fuére, alienati: Tribuni militum, inimici: Centuriones & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, te execrantur. Achaja exhauſta, Theſſalia vexata, laceratæ Athenæ, Epirus exciſſa, Locri, Photii, Bœotii exuſti; Macedonia condonata barbaris, Ætolia amiſſa, Dolopes finitimique Montani, oppidis atque agris exterminati: Cives Romani, qui in illis locis negotiantur, te unum, ſolum, ſuum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hoſtem veniſſe ſenſerunt.* Plu-

Plura exempla vide inter locos intrinsecos, ubi de enumeratione partium tractatur.

Amplificatio per Congeriem Causarum & Effectuum.

Quid est Amplificatio per congeriem causarum & effectuum?

Amplificatio per congeriem causarum & effectuum est illa, in qua multæ simul unius rei causæ, & effectus conglobantur Ut si dicas cum Cicerone: *Quæreris multis modis vexatam esse Provinciam, sed ad causas calamitatis attende: vigebat in ea ambitus, luxuria dominabatur, segnes erant magistratus, populus ipse molli otiosaque segnitie diffluebat. Expecta igitur damna longe graviora. Exhaurientur pecuniæ, jacebit spreta Religio, fures impune grassabuntur &c.*

Pariter Eloquentiæ dignitatem per congeriem effectuum amplificat: Libr: 1. de Oratore Nro 30. 31. 32.

Neque vero mihi quidquam præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit; unde autem velit deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus præcipue semper floruit, semperque dominata est...... Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate &c.

Plura exempla vide libr: 1. hujus Rhetoricæ, ubi agitur de Causis & Effectis.

Amplificatio per Congeriem Consequentium.

Quid Ampli-

Amplificatio per congeriem consequentium est illa, in qua plura acervatim ponuntur ex eadem re consequentia.

Habes egregium exemplum consequenti-um Oratione pro Marco Marcello. Ubi Cicero monet Cæsarem ne putet se satis Patriæ satis gloriæ vixisse, priusquam curet ordinare & constituere Rempublicam, quod amplificat à consequentibus; nempe constituta Republica, sequetur pax & otium, Cæsarem vere sequentur; gloria immortalis, præclara Posterorum de eo judicia &c. *ficatio per congeriem consequentium?*

Hæc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut Rempublicam constituas, eaque tu imprimis cum summa tranquillitate & otio perfruare.... Nec vero hæc tua vita dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur. Illa inquam, illa vita tua est, quæ vigebit memoria sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper tuebitur. Huic te ostentes oportet, quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet; nunc etiam, quæ laudet, expectat. Obstupescent posteri certe: Imperia, Provincias, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos, sed nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis & institutis erit; vagabitur modo nomen tuum longe lateque; sedem quidem stabilem & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam qui nascentur, sicut inter nos fuit magna dissensio, cum alii laudibus ad Cælum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum; nisi belli civilis incendium salute Patriæ restinxeris, ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post sæculis de te judica-

bunt,

bunt, & quidem haud scio, an incorruptius, quam nos; nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio & sine invidia judicabunt.

Plura consequentium exempla vide Pro Milone Nro 61. 78. Pro Flacco Nro 99. Et Philippica septima pene tota negat Antonium admittendum esse in civitatem, idque probat & amplificat ex iis malis, quæ secum esset in urbem importaturus.

Amplificatio per Congeriem Similium, Comparationum & Exemplorum.

Quid est Amplificatio per Congeriem Simil: Comp: & Exemp?

Amplificatio per congeriem similium, comparationum & exemplorum est ea, in qua plures ejusdem rei comparationes similitudines, pluraque exempla coacervantur.

Habes illustre similitudinis & comparationis exemplum Oratione pro Roscio Amerino Nro 56. Ubi accusatores comparat cum anseribus & canibus:

Anseribus cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significent si fures venerint; at fures internoscere non possunt, significant tamen si qui noctu in Capitolium venerint; & quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. Quodsi luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alii canes, qui latrare & mordere possunt. Cibaria vobis

bis

bis præberi videmus, vos autem debetis maxime impetum in eos facere, qui merentur. &c.

Egregia est etiam illa apud Tertulianum ad probandam corporum nostrorum resurrectionem, per conglobatas similitudines & comparationes amplificatio:

Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt; sidera defuncta revivifcunt; tempora ubi finiuntur, incipiunt; fructus consumuntur & redeunt. Certe semina nonnisi corrupta & dissoluta, fœcundius surgunt, omnia pereundo servantur omnia de interitu reformantur. &c.

Vide etiam Orationem pro Plancio Nro 51. Ubi probat Exemplorum collectione nihil esse quod Laterensis doleat, quod in petitione Ædilitatis repulsam passus fuisset. Et pro Roscio Amerino Nro 66. probat Orestis exemplo, eos ex agitari furiis qui parricidium admiserunt. Vide etiam Libr: I. hujus Rhetoricæ ubi tractatur de Similitudine & Comparatione.

Amplificatio per conflictionem Contrariorum.

Amplificatio per congeriem Contrariorum & inter se pugnantium est illa, in qua plura contraria per Antitheses opponuntur. *Quid est Amplificatio per congeriem Contrariorum?*

Talis est illa Ciceronis in Catilinam: *Hoc vero quis ferre possit inertes homines, fortissimis insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus.*

Item illud Ejusdem Ciceronis in Pisonem & Gabinium Consules:

Qui

Qui latrones igitur, ſiquidem vos Conſules? qui prædones? qui hoſtes? qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna majeſtas Conſulis. Non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas, non infirmitas ingenii ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram &c.

Plura Contrariorum exempla vide Oratione pro Roſcio Amerino Nro 75. 88. Pro Cælio Nro 12. Catil: II. Nro 25. & in Noſtra Rhetorica Lib: I. ubi tractatur de Contrariis & Repugnantibus.

Amplificatio per Incrementum.

Quid eſt Amplificatio per Incrementum?

Amplificatio per incrementum eſt ea, in qua Oratio veluti per gradus videtur augeri & aſcendere, donec ad ſummum pervenerit.

Ita Tullius Verris crudelitatem eo per incrementum deducit, ut verba explanando crimini non ulterius ſuppeditent Nro 5. *Facinus eſt vincire Civem Romanum; prope parricidium necare; quid dicam in Crucem tollere? Nihil addi jam videtur ad hanc amentiam, improbitatem, crudelitatemque poſſe, & recte videtur, nam ſi cum aliorum improbitate certet, longe omnes multumque ſuperabit, ſed ſecum ipſe certat, idque agit ut ſemper ſuperius ſuum facinus, novo ſcelere vincat.*

Et Nro 116. Verr: VII. In eundem Verrem dicit: *Levia ſunt hæc in hoc reo crimina.... Non vult Populus Romanus obſoletis criminibus accuſari Verrem, nova poſtulat, inaudita deſiderat &c.*

Plu-

Et pro Quintio Nro 48. *Ad hæc extrema & inimicissima jura tam cupide decurrebas, ut tibi nihil in posterum, quod gravius atque crudelius facere posses; reservares. Nam quid homini potest turpius, quid vero miserius aut acerbius usuvenire? quod tantum evenire dedecus, quæ tanta calamitas inveniri potest? Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria; tamen dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut judicio turpi convictus, bonis quidem suis utitur; a lterius opes (id quod miserrimum est) non expectat; hoc tamen in miseriis adjumento & solatio sublevatur. Cujus verò bona venierant; Cujus non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus vestitusque necessarius sub Præcone cum dedecore subjectus est: Is non modo ex numero vivorum, sed si, fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honesta, sæpe vitam quoque turpem exornat; vita turpis ne morti quidem honestæ, locum relinquit.*

Plura hujusmodi exempla vide Verr: VI. Nro 88. Philip: II. Nro 63. 99.

§. III.

Quid in Amplificatione vitandum?

Duo sunt imprimis vitia, ac veluti scopuli quidam, in quos incurrere solent Tyrones dum Orationem amplificant: Primus scopulus est illorum, qui minutissima quæque, singillatim, exiliter, & perexigue consectantur;

quod certe eſt in Oratore vitium vel maximum. Ut recte monet Cicero: In amplificationibus nihil eſt nimis tenuiter enucleandum, quia hic locus grandia potius, quam exilia minutaque requirit:

Alter ſcopulus eſt illorum, qui ad explendum Orationis numerum, nihil niſi vacuas voces, & inanem verborum ſonitum in illam infarciunt. Hoc vulgare vitium fugies, ſi nihil prorſus dicas, quod vim & pondus non addat Orationi. *Quid eſt enim tam furioſum*, inquit Cicero Libro I. de Oratore, *quam verborum vel optimorum ſonitus inanis nulla ſubjecta ſententia?*

Quamquam ut dicam id, quod res eſt, ſi Tyroni peccandum ſit in alterutram partem, malim ut peccet potius ubertate copiaque verborum, quam eorundem jejunitate atque inopia. Quia ut optime notat idem Cicero nimia hæc & redundans verborum ubertas & quaſi luxuries, ſtylo atque exercitatione brevi depaſcetur.

FINIS LIBRI TERTII.

ARTIS RHETORICÆ

LIBER QUARTUS

De diversis Orationum Generibus.

Hactenus de præceptis Orationis, quæ ad quodlibet argumenti genus facile possunt accommodari, fuse satis dictum est in genere; sequitur ut singulas Orationum formas ac species recenseamus. Neque enim satis esse censuimus generatim atque universe indicare fontes, unde manat omnis Oratio, nisi etiam singulas, singularum vias indicare Tyronibus singillatim aggrederemur.

Omnes itaque, quæ passim haberi solent Orationes ad tria dicendi genera revocantur. Scilicet: ad Demonstrativum & Judiciale. Ad genus Demonstrativum revocatur. Laus vel vituperium; ad Deliberativum svasio vel Dissvasio; ad Judiciale Accusatio vel Defensio.

CAPUT I.

DE ORATIONIBUS QUÆ PERTINENT AD GENUS DEMONSTRATIVUM.

AD Genus Demonſtrativum pertinent *1mo* Oratio Panegyrica. *2do* Oratio Natalitia ſeu Genethliacon. *3tio* Epithalamium ſeu Oratio Nuptialis. *4to* Oratio funebris. *5to* Gratiarum actio, ſive Euchariſticum. *6to* Epicinium ſive Oratio gratulatoria.

§. I.

De Oratione Panegyrica.

Unde nomen Panegyricus?

Panegyricæ Orationes proprie dicebantur illæ, quæ magno apparatu habebantur olim in Panegyri, hoc eſt in publico ſolemnique Græcorum undique convolantium cætu, ſive ad ludos faciendos, ſive ad Sacra nundinaſque in aliquo emporio celebrandas. Harum porro Orationum initium, quo ſplendidius eſſet, ſumi ſolebat a laude numinis illius, qui ludis præeſſe credebatur ut Jovis Olimpii, in ludis Olimpicis. Apollinis in certamine Pythico &c. Deinde ſequebatur laus Gentis vel Urbis ubi ludi celebrabantur. Denique Principis vel Magiſtratûs, qui certamini præerant, Pugiles qui decertaverant, victores præſertim qui præmia tulerant, plena manu laudabantur.

Hæc erat ratio veterum illarum Orationum, quæ habebantur in Panegyri. Poſterio-

ribus

ribus vero temporibus, illæ etiam vocantur Orationes Panegyricæ, quæ in nobili quopiam consessu in laudem Principum, aut in Templis in laudem Sanctorum habentur.

§. II.

De inventionibus & fontibus Panegyrici.

Series in Panegyrico duplex servari potest. Artificialis nempe, vel naturalis. Series artificialis servatur, cum indiscriminatim, & confuso temporis ordine, omnia in Panegyrico dicenda ad certa quædam capita ex arte revocantur. Sic Cicero Pompeji laudes refert: *ad scientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, ad felicitatem.* Sic etiam Curtius Alexandrum Magnum laudat ex hoc duplici capite: Virtute scilicet & fortitudine. *Fatendum est,* inquit, *cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit.*

Quæ series servari solet in Panegyrico?

Quid series artificialis?

Series naturalis ea dicitur, in qua temporis ac Historiæ ordo servatur. Hæc series dividitur in tria tempora; scilicet, in illud quod vitam alicujus antecessit, illud, quo quis vixit, illud, quod post mortem est consecutum; si is de quo fit Panegyricus jam naturæ concesserit.

Quid series naturalis?

Hic naturalis ordo perfacilis est; sed vulgaris ac plerumque languidus, nisi verborum sententiarumque floribus identidem aspergatur, & acutis sæpius excitetur sententiis, uti factum est a Plinio in nobili illo Trajani Panegyrico, in quem tanquam in eximium e-

xemplar intueri poterimus. Legi etiam poterunt duæ orationes Juliani In laudem Constantini Jmperatoris, quibus adde Panegyricos Claudiani, Synodii & aliorum, quos inter minime aspernandus Panegyricus Ennodii, Theodorico Gothorum Regi dictus.

§. III.

De tempore quod ortum antecessit.

Quid in illo tempore laudari potest?

In tempore ortum alicujus antecedente laudari potissimum solent Genus, ex quo, & Patria, in qua natus est, his addi etiam poterunt auguria aut signa, si quæ forte natalem ipsius horam præcesserint:

Quomodo ducitur laus a Genere?

Si Genus sit illustre, laudabis a splendore natalium majorumque rebus gestis, quæ sunt quædam virtutis quasi semina in nobilium animis insita. Dices Majorum virtutem, in eum, quem laudas, cum sanguine pariter fuisse transmissam. Juxta illud Horatii: *Fortes creantur fortibus. &c.* & aliud Claudiani: *Nobilitas cunctis exordia pandit laudibus, atque omnes redeunt ad semina causæ.*

Sic Eumenius Orator, Constantinum vel sola nobilitate Jmperium assequi debuisse, contendit: *Inter omnes participes Majestatis tuæ hoc habes Constantine præcipuum; quod Jmperator es, tantaque est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris Jmperium.... Non fortuita hominum consensio; non repentinus aliquis favoris eventus te Principem fecit; Jmperium nascendo meruisti.... Accipe Jmperator, accipe nostrorum sensuum confessionem. Dolemus*

quod

quod Constantius excessit a nobis; sed dum te cernimus, illum excessisse non credimus; idem enim est quem rursus in te colimus aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas. Sic est index modestiæ rubor, sic testis sermo justitiæ &c.

Sic etiam Cicero Verr: II. Nro 52 hortatur Glabrionem Prætorem ad severitatem, proposita Ipsius Majorum laude: *Circumstant te summæ authoritates, quæ te oblivisci laudis domesticæ non sinant, quæ te dies noctesque commoveant; fortissimum tibi Patrem, sapientissimum Avum, gravissimum Socerum fuisse &c.*

Ostendendum erit Oratori nobilitatem nihil homini prodesse, nec ei quidquam decoris conferre, cui vera nobilitas, virtus scilicet propria non adsit, sine qua generis splendorem, non sustinet nec illustrat, sed ignobilem potius reddit & obscurum; Juxta illud Marii in Jugurta: *Majorum gloria, posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto esse patitur:* *Quid facto opus est, si aliquis obscuro genere natus laudari debeat?*

Et illud Minucii Felicis in Octavio: *Omnes pari sorte nascimur; sola virtute distinguimur.*

Illud item Senecæ: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; Nemo in nostram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est: Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione, supra conditionem licet surgere.* Et alibi: *Eadem omnibus principia, eademque origo, nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, &*

nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis, quam nobiles ſunt.. Qui genus laudat ſuum, aliena laudat.

Nihil etiam magis pervulgatum, quàm effatum illud Uliſſis in certamine cum Ajace: *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.*

Denique ne generis humilitas, quidquam de laudibus detrahat; ſint in promptu communia hæc exempla: Auguſtum Patre Avoque argentario, Agathoclem Siciliæ Regem Patre figulo, Ptolomæum primum Ægypti Regem Patre gregario milite, Demoſthenem Patre gladiatorum fabro natos eſſe.

Erit etiam in promptu magnifica illa Tullii vox cum per contemptum *novus Arpinas* appellaretur: *Ego inquit meis majoribus virtute mea præluxi.* Denique uſurpari poterit ingenioſum illud dictum Iphicratis, qui ex ſutoris filio factus Athenienſium exercitus Jmperator, cuidam generis ignobilitatem ſibi exprobranti facete reſpondit: *Meum genus à me incipit, tuum in te deſinit; meorum primus, ego ſum, tu tuorum ultimus.*

Quomodo ducitur laus a Patria? Ad laudem a Patria ducendam potiſſimum faciunt Conditores, Heroes, Principes, Viri rebus geſtis illuſtres, leges, arma, mores, Cæli clementia, Templa, fora, mænia. &c. Totum hoc laudis genus eleganter expreſſit Pacatus in oratione Theodoſio dicta; dum Hiſpaniam in qua natus eſt deſcribit:

Primum tibi Mater Hiſpania eſt, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ atque adeo ditandæ impenſius, quàm cæteris Gen-

tibus Supremus ille rerum fabricator indulsit; quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubjecta frigoribus, media fovetur axis utriuſque temperie. Adde tot egregias Civitates, adde culta incultaque omnia vel fructibus plena, vel gregibus; adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum . . . . . Sint, ut ſcribitur Gargara proventu læta triticeo; Mevania memoretur armento; Lidia prædicetur Pactolo; Dum Hiſpania ſupra id, quid quid laudatur aſsurgat: Hæc duriſſimos milites, hæc experientiſſimos Duces, hæc fæcundiſſimos Oratores, hæc clariſſimos Vates parit. Hæc Judicum Mater, hæc Principum eſt; Hæc Trajanum illum, hæc deinceps Adrianum miſit Imperio; huic Te debet Imperium. Cedat his terris Terra Cretenſis partûs Jovis gloriata cunabulis, & geminis Delos reparata numinibus, fidem conſtare neſcimus auditis; Deum dedit Hiſpania, quem videmus.

Quid facto opus eſt, ſi ejus, qui laudatur, Patria ſit ignobilis & obſcura?

Oſtendet Orator Patriæ nobilitatem ninil, aut parum omnino ad laudem cujuſquam conferre; cum hæc plerumque ſit ſortis & fortunæ arbitrium non argumentum virtutis. Dicet cum Zenone Viro Sapientiſſimo: *Non quærendum an ex illuſtri Patria oriendi fuerint homines, ſed an ea digni vixerint. Magnæ Urbes plerumque parvos Cives habent; parvæ magnos.* In ſylvis relictus & enutritus Romulus, Urbium omnium Reginam Romam condidit, quam evertere voluit in maxima urbe genitus Catilina. Concludet denique non homines factos eſſe illuſtres ex ſua Patria, ſed per Viros bonos, & virtute ac eru-

eruditione præſtantes Patriam quamque nobilitatam eſſe.

Sic ingenioſe Themiſtocles, Seriphio cuidam ſibi exprobranti, quod non propter ſe ſed propter Athenas fuiſſet honoratus, reſpondit: *Neque tu, ſi Athenienſis eſſes, clarus extitiſſes, neque ego ſi Seriphius eſſem; ignobilis.*

Et illud memorabile Anacharſis, qui a Græco quodam barbarus ac Scytha per contemptum appellatus, perquam ingenioſe reſpondit: *Mihi quidem Patria probro eſt; tu vero Patriæ.*

Faciet quoque mirum in modum illa Auſonii ſententia: de Severo Imperatore, qui natus erat in Africa:

Punica origo illi; ſed qui virtute probaret
Non obſtare locum dum valet ingenium.

Quomodo ducitur laus ab Auguriis, & ſignis?

Siquid forte ſingulare contigerit, quo pueri futura claritas & amplitudo quomodocunque portendi videatur, id in laude ponendum erit. Hujuſmodi eſt fax illa, quam utero ſe geſtare ſomniavit Hecuba, dum prægnans Paridem alvo contineret. Item vitis illa, quam in ſomnio vidit Aſtiages, quæ palmitibus Aſiam obumbraret, Unde Cyri magnitudinem præſagiri ab Ariolis reſponſum eſt. Item die, quo Plato Philoſophorum Princeps natus eſt aureum imbrem de Cælo cecidiſſe veterum monimenta teſtantur. Sint ſane hæc commentitia. At ſiquidem licet prophanis ſacra jungere. Id genus erit illud examen apum, quod in naſcentis D. Ambroſii labris conſediſſe dicitur. Pia pariter Divi Dominici Mater viſa ſibi in ſomnis uterum geſtare cane

gra-

gravem, quo futura tam Sancti viri vigilantia, concionandique vis acerrima portendebatur. His adde venerandam Sanctissimi Nominis Jesu effigiem in pectore Matris Sancti Stanislai Kostcæ conspectam.

§. IV.

De iis, quæ in vita ipsa laudari possunt.

Hæc vera, ac propria laus est, quam quisque vivendo sibi comparat, nam hæc, quæ vitam antecedit, ab aliis accipitur; quæ autem eandem est secutura ab aliis adhuc speratur. In id itaque incumbendum erit Oratori, ut hanc præcipuam Panegyrici partem, pro rerum in vita gestarum copia amplificet, & pro earundem dignitate exornet. Ac imprimis ea duntaxat in materiam laudis erunt sumenda, quæ cuique pro sua ætate, statu, & conditione competunt. Sic puero maxime conveniunt.

Laus Pueri. Ingenii puerilis alacritas; docilitas, semina quædam & principia virtutum; desiderium rerum magnarum, corporis decor, sermonis affabilitas. &c.

Laus Adolescentis. Adolescenti maxime conveniunt studium virtutis & sapientiæ, quare in ejus laudem afferatur: apud quos egerit, quibus usus fuerit Præceptoribus, quibus æqualibus, quibus studiis, quibus artibus ac disciplinis, quaque aptitudine & dexteritate vacaverit. &c.

Laus Viri. Virili ætati conveniunt: prudentia, fortitudo in adeundis periculis & laboribus sufferendis, magnitudo animi, præclare facta, prudenter tum privatim, tum publice dicta, constantia, fidesque in promissis &c. Se-

Laus Senis. Senectuti conveniunt: longus rerum usus, experientia, consilium, vitæ integritas, comitas, morumque dulcedo. &c.

Quæ laudari solent in vita? Quænam Virtutes sunt vel maxime celebrandæ?

In genere tria in hominis cujusque vita præcipuam laudem merentur. Virtutes scilicet, scientiæ, & honores seu dignitates.

Primum ut par est locum obtinet Religio, pietasque in DEUM, in Patriam, in Parentes.

Laus Religionis petitur.

1mo. Ab eo, quod bene sentiat quispiam de existentia & cultu DEI.

2do. Quod Sapienter de Divina Providentia seu administratione hujus universi judicet.

3tio. Quod res Divinas complectatur, gratiamque DEI & auxilium in omnibus sibi conciliet.

4to. Quod Soli DEO omnia sua bona in acceptis referat.

5to. Quod Sacras Ceremonias & ritus Religionis magni faciat, & cum reverentia usurpet.

6to. Quod DEUM templis & donariis colat magnoque ardore pro modo suo ipsius gloriæ amplificandæ ubique accendatur, preces & vota nuncupet.

7mo. Quod Personas DEO Sacras honore & reverentia prosequatur.

Exemplum hujus invenies in Panegyrico Plinii Nro 52. qui postquam merita Principis sui Trajani recensuit; subdit:

Horum unum si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, & media inter deos sedes

ſedes auro ſtaret aut ebore, auguſtioribusque aris & grandioribus victimis invocaretur. Tu delubra nonniſi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis, poſtibuſque prætexi. Sic ſit ut dei ſummum inter homines faſtigium ſervent, cum deorum ipſe non adoptes. Quod Deus aliquis haberi fugis, DEI vices in terris agentem te veneramur. &c.

Similiter Mamertinus Oratione 2. laudat Maximi *Nam primum omnium quanta veſtra erga DEUM pietas, quàm aris, ſimulacris, templis, donariis veſtris, denique nominibus adſcriptis, adjunctis imaginibus ornaſtis, ſanctioreſque feciſtis exemplo veſtræ venerationis; nunc enim vere homines intelligunt, quæ ſit DEI poteſtas, cum tam impenſe colitur a vobis.*

Et Auſonius in laudibus Gratiani Jmperatoris ponit: *Nullum tu unquam diem ab adoleſcentia tua niſi adorato DEI numine & reus voti, illico abſolutus egiſti, totis manibus, mente pura, immaculabili conſcientia, & quod in paucis eſt, cogitatione ſincera &c.*

Plura exempla nihil opus eſt congerere, cum pleni ſunt hujuſmodi tum antiquiorum, tum recentiorum Authorum libri. Concludo materiam hanc exemplo Ciceronis in Verr: *Omnes religione moventur, & Deos Patrios, quos a majoribus acceperunt colendos ſibi diligenter & retinendos arbitrantur; nimirum religione vita conſtat &c.*

Poſt Religionem; primum laudis & honoris locum habere Patriam clare pronunciat Plato Lib: 9. de Legibus. Itaque:

Laus pietatis in Patriam petitur.

1mo. Ab eo, si quis eam velut communem omnium Parentem respiciat.

2do. Si commune ipsius bonum suo privato præferat.

3tio. Si ejus periculis magis quam suis moveatur.

4to. Si pro ea tuenda bonorum omnium imo vitæ etiam suæ discrimen subeat. Hinc facile patet, quam multæ, quam illustres a pietate in Patriam laudes deduci possunt, quot enim beneficia conferre licet in eam, tot laudes ab eadem colligere justum est. Multus est in his Valerius Maximus Lib: 5. Cap: 6. Cujus exempla utpote prolixiora non ponimus. Sufficiat unum Ciceronis Lib: 1mo Officiorum:

Illa enim est communis omnium, antiquissima & Sanctissima Parens, omnes omnium charitates complexa, Dea quædam mortalium, quam observare magis & colere debeant, quam Matrem, pro qua nemo bonus dubitet mortem oppetere si modo sit ei profuturus.

A Patria proximum pietatis gradum suo sibi jure vindicant Parentes.

Laus pietatis in Parentes petitur.

1mo. Ab amore erga illos.

2do. Ab honoribus illis exhibitis.

3tio. A periculis eorum causa perlatis.

4to. A desiderio & votis pro illorum longiori vita nuncupatis. Ab hoc capite sic suum Trajanum laudat Plinius.

At,

At, quo temperamento Dii boni poteſtatem tuam fortunamque moderatus es? Jmperator titulis & imaginibus & ſignis, cæterum modeſtia, labore, vigilantia Dux, & legatus, & miles; cum jam tua vexilla, tuas Aquilas, magno gradu anteires, neque aliud tibi ex illa adeptione, quam filii pietatem, filii obſequium adſereres, longamque huic nomini ætatem longam gloriam precarere. Te providentia Deorum primum in locum provexerat, Tu autem in ſecundo reſiſtere, atque etiam ſeneſcere optabas. Privatus videbaris, quamdiu Jmperator & alius eſſet. Audita ſunt vota tua, ſed inquantum optimo illi & Sanctiſſimo ſeni utile fuit, quem Dii cælo vindicarunt. Quem tu lacrimis primum ita ut filium decuit, mox templis honeſtaſti, non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente fecerunt. Dicavit Cælo Tyberius Auguſtum ſed ut Majeſtatis numen induceret; Claudium Nero, ſed ut irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum, ſed ille ut DEI filius, hic ut frater videretur. Tu ſideribus Patrem intuliſti, non ad metum Civium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum.

Laudari etiam poterit, maxime in viris Principibus clementia, de hac agit Seneca:

Nullum clementia ex omnibus magis, quam Regem decet; ita enim virtutes magnis viris decori gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt &c.

To-

Totus est in extollenda hac Cæsaris virtute Cicero Oratione pro Marcello.

Laudabitur liberalitas atque beneficentia, qua nimirum una Reges ac Principes propius ad Deum possunt accedere. Hac servit illud Svetonii de Tito Jmperatore, qui nihil cuiquam quod concedi fas esset abnuebat: *Negas*, inquit Suetonius, *oportere quemquam a Principe tristem discedere.* Idem Imperator cum aliquando inter cænandum diem illam beneficio vacuam abiisse meminisset; conversus ad *amicos* inquit: *Amici diem perdidimus.* Commendari poterit aurea illa Scytharum Legati ad Alexandrum vox: *Si Deus es, tribuere hominibus beneficia debes, non sua eripere.*

Celebrabitur denique Magnitudo animi excelsi nihil extimescentis, prudentia in consiliis capiendis, celeritas in exequendis, in adversis æquanimitas & robur mentis imperterritæ.

Atque ut huic capiti finem imponamus, nullius unquam virtutem splendidius ac magnificentius fuisse laudatam existimo, quam Catonis, ad quam unam certatim celebrandam summa quæque ingenia conspirasse videntur. Duo hic exempla adjungo: Et primum quidem ex Paterculo Libr: 2do. *Homo,* inquit, *virtuti simillimus & per omnia ingenio Diis, quàm hominibus propior, qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat.* Alterum ex Salustio in bello Catilinario: *Cato non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo, virtute; cum modesto, pu-*

do-

dore; cum innocente abstinentia; certabat; esse quam videri bonus malebat, ita, quominus gloriam petebat, eo magis assequebatur.

Laus eruditionis & scientiæ.

Petitur *1mo.* Si liberalium artium disciplinis sit instructus is, qui laudatur.

2do. Si literis & literatis faveat, & patrocinetur. Ex utroque hoc Capite sic suum Trajanum laudat Plinius: *Quid memorem vitam? quid mores juventutis, quam principaliter formas? quem honorem dicendi Magistris, quam dignitatem Sapientiæ doctoribus habes? Sub te spiritum & sanguinem & Patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat; cum sibi vitiorum omnium conscius Princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quàm reverentia relegaret. At tu easdem artes in complexu, auribus, oculis habes; præstas enim, quæcunque præcipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. &c.*

Huc etiam pertinet illud Senecæ Episto: 88.

Quare liberalia studia dicta sunt? vides: quia homine libero digna sunt. Cæterum unum studium vere liberale est, quod liberum facit. Hoc Sapientiæ, sublime, forte, magnanimum. Cætera pusilla & puerilia sunt.

Laus ab honoribus.

Petitur *1mo.* A modestia, quæ inter honores observatur.

2do. A svavitate morum in honoribus.

3tio. A modo obtinendi honores.

4to. Ab honorum etiam promeritorum contemptu.

Pro exemplo sit illud Plinii de Trajano. *Nonne tot, tantisque meritis novos aliquos honores, novos titulos merebare? At tu etiam nomen Patris Patriæ recusabas. Quam longa nobis cum modestia tua pugna, quam tarde vicimus? Nomen illud, quod alii primo statim Principatûs die, ut Imperatoris & Cæsaris receperunt. Tu usque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator, jam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, ut Pater Patriæ esses, antequam fieres. Eras enim in judiciis nostris, nec publicæ pietatis intererat, quid vocarere, nisi quod ingrata sibi videbatur, si te Imperatorem potius vocaret & Cæsarem, cum Patrem experiretur. Quod quidem nomen, qua benignitate, qua indulgentia exerces, ut cum civibus tuis, quasi cum liberis parens vivis? Ut reversus Imperator, qui privatus exieras agnoscis, agnosceris. Eosdem nos, eundem te putas, par omnibus, & ob hoc tantum cæteris major, quo melior &c.*

§. V.

De tempore, quod mortem subsequitur.

Quæ in hoc tempore, ab Oratore consideranda sunt?

Consideranda sunt in hoc tempore ab Oratore.

1mo. Genus ipsum mortis, si quis pie ac fortiter ut sapientem ac probum decet, obierit.

2do. Causa mortis, si quis honestis ac utilibus animi corporisque laboribus & curis, sibi

sibi ipse mortem acceleraverit; Si pro Patria, aut quod magis est pro Religione pugnans, occubuerit.

3tio. Pompa funebris & honores habiti mortuo: ut quod uni Demetrio Falereo statuæ trecentæ & saxaginta fuerint Athenis positæ.

4to. Proles, si quæ relicta est, honeste & religiose educata. Ut Divus Ambrosius in funere Theodosii Magni: *Ergo*: inquit, *tantus Imperator recessit a nobis, sed non totus recessit, reliquit enim liberos in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum cernimus &c.*

5to. Mæror & luctus bonorum. Eximium ex hoc ultimo motivo habes exemplum Curtii Lib: 10. insolitum omnium Ordinum & acerbissimam in morte Alexandri Militum comploratiouem describentis:

Suprema hæc vox Regis fuit, & paulo post extinguitur. Ac primo ploratu lamentisque & planctibus tecta Regia personabant; Mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio torpebant ad cogitationes, quid deinde futurum esset, dolore converso. Nobiles pueri custodiæ corporis ejus assueti, nec doloris magnitudinem capere, nec se ipsos intra vestibulum Regiæ continere potuerunt, vagique ac furentibus similes, totam urbem luctu ac mærore compleverant.... Nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persæ justissimum ac mitissimum dominum; Macedones optimum ac fortissimum Regem invocantes, certamen quoddam mæroris edebant. Nec mæstorum solum, sed

etiam indignantium voces exaudiebantur: tam viridem & in flore ætatis fortunaque invidia deorum ereptum esse rebus humanis. Vigor ejus & vultus educentis in prælium milites; obsidentis urbes, evadentis in muros, fortes viros pro concione donantis, occurrebant oculis. Persæ, comis more suo detonsis, in lugubri veste cum conjugibus ac liberis, non ut victorem & modo hostem, sed ut gentis suæ justissimum Regem, vero desiderio lugebant. &c.

Nota: Præter enumerata ex quibus laudes variæ duci possunt capita; solent a pluribus & magnis Oratoribus, in laudum loco poni, pulchritudo, robur, sanitas corporis, divitiæ; &c. quæ quidem in se veram laudem non habent, utpote quæ soli & uni virtuti debetur; virtus tamen in eorum usu ac moderatione maxime cernitur. Unde non inscitè dictum est ab Eumenio in Panegyrico Constantini Magni:

Naturam ipsam magnis mentibus domicilia magna metari, & ex vultu hominis decoreque membrorum colligi posse, quantus cælestis Spiritus intrarit habitator.

Similiter de Theodosio Magno dixerat Pacatus: *Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addixit forma suffragium, illa præstitit, ut oporteret te Principem fieri, hæc, ut deceret.*

Porro a divitiis, poterit laudari quispiam, si 1mo. eas possideat, non ab illis possideatur: 2do. Si iis utatur non ad perfruendas voluptates, sed vel ad usus vitæ honestos, vel ad juvandos amicos, vel ad egenorum ino-

inopiam ſublevandam ut faciebat Trajanus, de quo ait Plinius:

Nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes.

Laudari etiam a quibuſdam ſolet, parcus & modeſtus veſtium ornatus, & corporis cultus. Hic tamen ſi in plus æquo nitidiorem & delicatum degeneret, recte ab Auguſto Cæſare ſuperbiæ vexillum, & luxuriæ nidus appellatur. Contra quem ſic inſurgit Seneca Libr: de brevitate vitæ Cap: 12.

Quibus apud tonſorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur; dum aut diſjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur, quando iraſcuntur & excandeſcunt ſi quid ex juba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt. Quis eſt iſtorum qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam ſuam? qui non ſolicitior ſit, de capitis ſui decore, quàm de ſalute? qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior? &c.

§. VI.

Animadverſiones quædam circa Perſonarum laudationem.

Quænam obſervanda ſunt circa Perſonarum laudationem?

Quinque hæc circa perſonarum laudationem animadvertenda veniunt:

1mo. Ne ad ementitas, ficticiaſque laudes recurramus, quæ ſcilicet non ſplendorem afferunt orationi, ſed in veris etiam fidem derogare ſolent; ut olim contigit impru-

prudenti Poetæ, qui verſibus celebrare veritus non fuit, hyacinthinas Stratonices Seleucii Syriæ Regis uxoris comas, quam non deformem modo, ſed calvam prorſus fuiſſe nemo neſciebat. Poterit hoc illuſtrari exemplo Liſippi, qui Alexandrum ſapienter effinxit haſtam manu tenentem; reprehendens Apellem, quod eundem fulminantem depinxiſſet, & ita veris ac propriis ſpoliaſſet inſignibus, dum ornaret falſis.

2do. Cavendum eſt, ne in meliorum copia, res viles, & facta leviora commendemus; turpius enim eſt exigue frigideque laudari, quàm vituperari graviter.

3tio. Obſervandum diligenter, ut non communes ac pervagatas, ſed proprias cuique laudes præcipue conſectemur, quapropter plane perſpecta debent eſſe oratori, quæ propria ſunt illius, quem laudat. *Quomodo enim,* dicit Ariſtoteles, *laudabimus Athenienſes ſi lateat nos navale prælium ad Salaminam vel pugna in Marathone.*

4to. Haberi debet ratio diverſitatis rerum ad delectationem excitandam, quod fiet jungendo parva magnis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus, utilia honeſtis, Exempla ſuppeditabunt Orationes Pro Archia Poeta, Pro Marcello, Vatiniana &c.

5to Narratio ſummum delectum habere debet rerum, quæ commendantur, nec eſt ſejungenda ab aliis partibus, ſed per totam Orationem diffundi debet, prout obſervare licet in Panegyrico Ciceronis pro Marcello, & Plinii in laudem Trajani.

§. VII.

§. VII.

Laus rerum inanimatarum.

Ex iis, quæ de perſonarum laudatione dicta, & quibuſdam exemplis illuſtrata ſunt, aut difficilis erit conjectura de illis, quæ quaſi perſona ſunt, & quas quaſi perſonas tractari poſſe probant innumera probatiſſimorum Authorum exempla, a quibus, (ne opuſculum hoc ultra juſtos limites protendatur:) citandis ſuperſedemus; ſatiſque Tyronum utilitati judicamus, brevem ſingularum Synopſin exhibere.

Laus virtutis petitur.

1mo. Ab eo, quod bonis corporis longe præſtat.

2do. Quod rebus omnibus ornamentum & decus afferat.

3tio. Quod ſit bonum conſtans ac perpetuum, nec imperio fortunæ ſubjectum.

4to. Quod ſola in hac vita felicitatem veram ſtabilire poſſit.

5to. Quod finita etiam hac mortali vita, illa vivat ſplendeat, & remuneretur.

Laus Artis & Scientiæ petitur.

1mo. Ab inventione & illius uſu.

2do. Ab utilitate & multitudine rerum, quas complectitur.

3tio. A diſpoſitione præceptionum apta, prudenti & clara.

4to.

4to. A victoriis quas reportavit ut *vg.* Eloquentia, si moveat, persvadeat, & in animis hominum dominetur.

5to. Ab eo, quod soli sapientes administratione rerum digni sunt.

Laus Regionis petitur.

1mo. Ab ejus Antiquitate.

2do. Ab ejus Nobilitate.

3tio. Ab insigni aliqua virtute propter quam celebratur.

4to. Ab illustribus Viris, quos genuit, vel a quibus fundata est.

5to. Ab aeris temperie.

6to. Ab amplitudine, situ, amænitate, & salubritate.

7mo. A fluminibus, lacubus, mari, urbium frequentia, celebritate, fertilitate.

8vo. Ab animalibus, mineralibus, divitiis quibus abundat.

9no. Ab administratione Principum, incolarum pietate, fortitudine, studiis, & humanitate.

Laus Urbis petitur.

1mo. Ab ejus Amplitudine.

2do. A Munitionibus.

3tio. Ab ædificiis, situ, figura.

4to. A Civium moribus, & multitudine.

5to. Ab Academiis, & Templis.

§. VIII.

Oratio Natalitia seu Genethliaca.

Quid sit Genethliacus.

Genethliacus, vel Genethliacum, est Oratio, qua alicujus dies natalis celebratur.

Exo-

Exordium ducitur ab aliqua circumstantia loci, temporis, aut personæ. Item a votis publicis, precibus, sacrificiis, quæ nativitatem præcesserunt. *Quæ ejus Dispositio?*

Confirmatio continebit *1mo* Commemorationem Majorum, & laudes Parentum, quæ jure quodam hereditario pertinere videntur ad prolem.

2do. Spem, quam præbet puer vitæ aliquando cum laude peragendæ.

Epilogus seu peroratio continet ut plurimum vota, & preces ad Deum ut infanti fauste, feliciter, prosPereque eveniant omnia, utque in Patriæ decus, & Parentum ornamentum adolescat.

Pro exemplo sit, brevis hæc Oratiuncula in natali cujuspiam Principis:

Si quantæ sunt in utroque Parente tum ingenii, tum virtutis dotes, tantas postmodum in puero visuri sumus, quis omnibus retro sæculis Princeps major meliorque surrexit? Si Patris vigilantiam obtinet, quis solertior? Si Matris dignitatem, quis spectabilior? dum illius clementiam referet; quem non vincet officiis? dum hujus modestiam imitabitur cui non occurret augustus? Accedet ad Patris fortitudinem? cuncta suo adjunget imperio; succedet pietati Matris? nullum non rapiet virtutis exemplo. Utriusque demum retinebit indolem? Videbimus gravitatem urbanitate, modestiam principatu, majestatem popularitate conditam; denique quidquid uterque nobilitatis & gloriæ, quidquid amplitudinis & famæ continet, in hoc uno collectum deprehendemus. En jam vigor

gor eminet in vultu Principemque spirat adhuc infans, jam affusus genis lepos & dignitas, jam fulgor inditus oculis cæleste quiddam sapit. Cernitur uterque Parens unius in ore, caput excelsum attollit, quasi toto vel in cunis jacens, Regno emineat, figit obtutus imperterritos, quasi Gentes jam nutu terreat, suo brevi ferro domandas; manus explicat audaces, quasi sceptris jamjam aptandas, tenera exercet brachia, quasi præludat hostium fatis &c.

§. IX.

Oratio gratulatoria seu Epicinium.

Quid sit Epicinium? Quæ ejus Dispositio?

Epicinium est Oratio gratulatoria, quæ adhibetur in quovis felici eventu.

Exordium duci potest a caussis publicæ lætitiæ, vel a mutatione fortunæ in meliorem statum. Exempli loco erit Exordium Catilinariæ II. *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem Patriæ nefarie molientem, vobis atque huic Urbi ferrum flammamque minitantem ex urbe vel ejecimus vel emisimus &c.*

Confirmatio plures pro dicendi argumento, & dicentis judicio poterit habere partes. Sic si instituenda sit Oratio de victoria reportata. Confirmatio continebit laudes victoris, qui debellatis hostibus, timore populos, direptione Urbes, vastitate Provincias, ruina Patriam liberavit; hinc cum laude numerabuntur præclare gesta, explicabuntur virtutes Jmperatoris, Ducum, Exercitus, addetur narratio victoriæ, quæ ampli-

plificabitur per Hypotyposes, descriptiones, comparationes, & præcedentis fortunæ cum præsenti collationes.

Epilogus totus erit in votis & precibus pro felici rerum successu.

Pro exemplo sint pauca hæc excerpta ex Oratione Pacati Theodosio Augusto dicta, in qua funestam Galliæ laborantis imaginem subjicit, oculis, multisque describit tristes casus & gravissima pericula, quibus virtute tanti Imperatoris defuncta est Patria, ut ejus triumphi gloriam illustriorem reddat.

"Quis se nobis calamitate contulerit? Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates; impletas fugitivis nobilibus solitudines, quid perfunctorum honoribus summis virorum, bona publicata, capita diminuta, vitam ære taxatam? Vidimus redactas in numerum dignitates, exutos trabeis consulatus, senes fortunarum superstites, & infantium sub ipso lictore ludentium flendam securitatem; cum interim miseri, vetabamur agere miseros, imo omnes cogebamur mentiri beatos. . . . Comportabantur spolia Provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum; hic aurum Matronarum manibus extractum; isthic Dominorum cruore perfusum appendebatur argentum, numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi; Cuivis ut intuenti, non illud Imperatoris domicilium sed latronis receptaculum videretur. &c.

Infert deinde Galliam sic miseram ac oppressam à tam immani crudelique tyrannide liberasse, quanta gloriæ seges Theodosio messisque triumphorum.

§. X.

Oratio Eucharistica.

Quid Euchari-sticon? Eucharisticon est oratio, qua ob acceptum insigne aliquod beneficium gratias agimus.

Quæ ejus dispositio? *Exordium* versari debet in apertó quodam candidoque dicendi genere, quod magnam grati animi foras quodammodo erumpere gestientis significationem contineat.

Confirmatio significabit *1mo*. Lætitiam obortam ex accepto beneficio. *2do*. Accepti beneficii magnitudinem amplificabit idque quadruplici potissimum ex capite.

1mo. A Persona quæ gratificatur, nempe si sit Rex, si in amplissimo dignitatis gradu collocata; inde enim augetur beneficii magnitudo.

2do. A Persona cui gratificatur, nempe si beneficium sit egenti collatum, si immerenti, si ad plures pertineat.

3tio. A re, qua gratificatur: si honesta, si opportuna, si exoptata, si difficilis.

4to. A ratione modo, & tempore quo confertur beneficium, nempe si non ægre sed libenti animo, si non rogatu alieno sed sponte, si non redditum sit, sed datum beneficium, si non tarde, sed ipsa opinione citius.

Epilogus memorem animum pollicebitur. Exemplo esse poterunt duæ exquisitæ Ciceronis post reditum ab exilio Orationes, una ad Quirites, alia ejusdem argumenti ad Senatum.

Hic

Hic in gratiam Tyronum, ut ſciant ſublimes quandoque cogitationes, in humili etiam ſtylo, recte ac candide exprimi poſſe; quædam ex Auſonii Oratione, Gratiano Imperatori dicta, ſubjicio; ſic ille nude ac ſimpliciter exorditur:

Ago tibi gratias Imperator Auguſte; ſi poſſem etiam referrem, ſed nec tua fortuna deſiderat remunerandi vicem; nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Privatorum iſta copia eſt, inter ſe eſſe munificos; Tua beneficia ut majeſtate præcellunt, ita mutuum non repoſcunt. Quod ſolum igitur noſtræ opis eſt, gratias ago, verum ita ut apud Deum fieri amat, ſentiendo copioſius, quàm loquendo. Ago igitur gratias Optime Imperator, ac ſi quis hunc ſermonem meum iisdem verbis tam ſæpe repetitum, inopiæ loquentis aſſignat, experiatur hoc idem proſequi, & nihil poterit proferre facundius. . . . Ago tibi gratias Imperator ſi mereri me credidiſti; & plures habeo gratias, ſi tantum amaſti, ut me Conſulem faceres etiam non merentem; Quid quod nihil ſperanti mihi de honoris augmento perfertur nuncius Conſulem me creatum ſine impendio, quod jam diu paucis, ſine labore, quod nunquam, ſine petitione, quod nemini. (ſubintellige conceſſum) *Concludam deinceps Orationem meam piiſſime Auguſte ſermonis magis fine, quàm gratiæ, namque illa perpetua eſt &c.*

§. XI.

Artificium Orationis in adventu Principis aut cujuſpiam in dignitate conſtituti.

Exor-

Quæ sit ejus Dispositio? *Exordium* duci poterit ab expectatione & votis Populi, item a communi gaudio ex ejus adventu.

Confirmatio. Continebit descriptionem apparatûs ejusque circumstantias; Insignes comparationes & similitudines, quibus persona adveniens commendatur. Plausus & faustas acclamationes. Crebram Apostrophen ad Cives, ad domos, templa, &c.

Epilogus Animos, fortunas, opesque devovebit. Pro exemplo sit excerptum ex Pacato in adventu Theodosii Imperatoris.

Jam quocunque tulisses gradum, sequi, circumcursare, præcedere, vias denique quibus ferebaris obstruere, nullus cuiquam sui Tuique respectus, blandam Tibi faciebat injuriam. Quid ego referam pro mœnibus festum liberæ nobilitatis occursum? conspicuos veste nivea Senatores? reverendos municipali purpura Flamines? insignes apicibus Sacerdotes? Quid portas virentibus sertis coronatas? quid aulæis undantes plateas, accensisque funabulis auctum diem, quid effusam in publicum turbam domorum, gratulantes annis senes; pueros tibi longam servitutem voventes, Matres lætas, Virginesque securas? &c.

§. XII.

Artificium Orationis funebris.

Quæ ejus Dispositio? *Exordium* doloris plenum esse debet, duci autem poterit,

1mo. Ab exclamatione; tale est exordium

bre-

brevis illius, sed perelegantis Tullianæ in morte Crassi Oratoris clarissimi.

O fallacem nostram spem fragilemque fortunam & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt. &c.

2do. Duci poterit a descriptione funebris apparatus, vel ex mæsto audientium silentio.

3tio. Duci poterit a circumstantiis, quæ forte laudandi mortem circumstetêre sic Theodosii Jmperatoris laudationem funebrem orditur D. Ambrosius.

Hoc nobis motus terrarum graves, hoc juges pluviæ minabantur, & ultra solitum caligo tenebrosior denunciabat; quod Clementissimus Jmperator Theodosius recessurus esset è terris. Ipsa igitur recessum ejus elementa mærebant. Cælum tenebris obductum, aer perpeti horrens caligine, terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluvionibus. Quidni mundus ipse defleret eum Principem continuo esse rapiendum, per quem dura mundi istius, temperari solerent.

Confirmatio tribus constabit partibus nempe: Laude mortui; Consolatione Parentum & affinium; Adhortatione ad superstites, ut in mortui vitam atque virtutes tanquam in exemplar intuerentur. Vide quam eleganter, licet breviter hæc tria expresserit Cicero Philippica XIII. Ubi Martiam legionem, quæ in prælio Mutinensi fortiter pugnans cecidit, magnificentissime laudat:

Ille

Illi impii, quos cæcidiſtis, etiam apud inferos pœnas parricidii luent; Vos verò qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt, at memoria bene redditæ vitæ ſempiterna. Et poſt pauca. *Sed quoniam Patres conſcripti gloriæ munus Optimis & fortiſſimis Civibus monumenti honore perſolvitur, conſolemur eorum proximos: Quibus optima hæc eſt quidem conſolatio: Parentibus, quod tanta Reipublicæ præſidia genuerunt. Liberis, quod habebunt domeſticæ exempla virtutis. Conjugibus, quod viris carebunt, quos laudare, quàm lugere præſtabit; Fratribus, quod in ſe ut corporum ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident &c.*

Epilogus æternam mortuo felicitatem & memoriam precabitur.

Nota: Nihil hic addimus de diſpoſitione vituperationis, quam ad demónſtrativum dicendi genus pertinere ſuperius aſſeruimus; cum hæc alia præcepta non deſideret ab iis, quæ poſuimus in laudationum induſtriis, & ſicut hujus finis eſt, excitare motus in auditore, qui ad virtutis imitationem ferunt, amoremque & benevolentiam concitent in eum, qui laudatur; ſic illius finis eſt excitare in Auditore deteſtationem vitii, & conflare odium in illum qui vituperatur. Illud tamen prudentis erit Oratoris & moderati, videre, ne naturâ potius, quàm neceſſitate ad vituperandum incitatus fuiſſe videatur; id fiet, ſi nihil convitiorum effuderit temere, ſed quidquid dixerit non à maledictis,

ſed

ſed a certis rationibus & veritate procedat. Exempla dabunt Seneca de ira, Cicero de Crudelitate Verrina I. Item Pro Roſcio Amerino. Pro Cluentio &c.

CAPUT II.

§. I.

De Genere Deliberativo.

Genus Deliberativum varium eſt & multiplex, vocatur enim *1mo.* ſuaſorium vel diſſuaſorium à ſuadendo vel diſſuadendo. *2do* Concionatorium, à concione ſeu conventu Populi, ad quem Orationes deliberativæ habebantur, tum apud Romanos, tum apud Græcos. *3tio* Denique conſultorium, à conſilio dando. *Quid, & quotuplex eſt genus Deliberativum?*

Materia generis deliberativi eſt id omne de quo haberi poteſt deliberatio, ſeu id de quo ſuaderi aut diſſuaderi poteſt. Ut enim ait Cicero: *Tollitur omnis deliberatio, ſi intelligatur quidquam fieri non poſſe, aut imponatur neceſſitas. Neque enim quiſquam deliberat, qua ratione perpetuo victurus ſit, quoniam intelligit ſibi moriendi neceſſitatem incumbere, neque quiſquam deliberat quomodo volare poſſit, ſcit enim ſibi alas non adeſſe.* *Quæ ejus materia?*

Status generis deliberativi, eſt conſtitutio quæſtionis *vg.* An res facienda ſit nec ne? *Qui ejus ſtatus?*

Unde petuntur ejus Argumenta? *Generis deliberativi Argumenta duci solent.*

1mo. Ab utili.
2do. Ab honesto.
3tio. A Possibili.
4to. A Necessario.
5to. Ab Jucundo.

Quid utile? Utile continet bona omnia sive animi sive corporis, sive fortunæ, quæ percipi possunt.

Ex hoc loco Catilina suos conjuratos hortatur apud Salustium: *Nobis* (inquit) *est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior. Denique quid reliqui habemus, præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa quam sæpe optastis libertas; præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. &c.*

Quid honestum? Honestum juxta Ciceronem dicitur illud, quod detracta etiam omni utilitate, per se ipsum laudabile sit & expetendum. Ut si quempiam hortemur: ut M. Attilii Reguli exemplo, malit ad mortem vel ad vincula reverti; quàm datam hostibus fidem fallere.

Quid possibile? Possibile continet circumstantias omnes, quæ rem, quam svades facilem esse probant, de his circumstantiis vide locum ab Adjunctis.

Quid necessarium? Necessarium complectitur ea omnia, quæ consecutura prævidentur ex re facta vel non facta, hæc autem necessitas est cum adjunctione alicujus conditionis; non enim, ut superius innuimus, deliberatur de re aliqua absolutè necessaria. Hujus loci magna vis est ad suadendum vel dissuadendum. Multi

siqui-

ſiquidem ſunt animis adeo ſegnibus, ut tum quoque cum aliquid honeſtum & utile eſſe norunt, tamen ſi illud ſit cum magno labore conjunctum, facile terreantur. Apud tales ratio neceſſitatis eſt compendioſa via ad perſuadendum. Ejuſmodi eſt Ciceronis argumentum in Philip: IV.

Agitur enim, non qua conditione victuri; ſed victuri ne ſimus, aut cum ſupplicio ignominiaque perituri?

Quid jucundum? Jucundum dicitur omne id, quod honeſtam habet animi vel corporis voluptatem Hinc ducitur illud Argumentum Ciceronis:

Hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis a te proviſum eſſe intellexero, magnam te ex eo & perpetuam voluptatem eſſe capturum?

Contrarium adhibetur in diſſuaſione unde ejus argumenta duci ſolent.

1mo. Ab incommodo & periculoſo.
2do. Ab inhoneſto & turpi.
3tio. Ab impoſſibili aut difficili.
4to. Ab inutili & jucundo.

Exordium Generis Deliberativi. Exordium in hoc genere adhibetur, tum ad Authoritatem, tum ad attentionem Oratori conciliandam.

Authoritas conciliatur.

1mo. Modeſta ſui commendatione.
2do. Amoris & animi grati ſignificatione.
3tio. Deſiderio bene conſulendi.

Attentio conciliatur.

1mo. Expoſita rei magnitudine.
2do. Rei dignitate.
3tio. Rei momento.

Confirmatio. Confirmatio in genere Deliberativo dividi solet in sua membra *vg.* in utile, possibile, facile, necessarium, jucundum &c.

Peroratio. Peroratio generis Deliberativi duo continet *1mo.* Sententiam de re, quæ in deliberationem venit.

2do. Motus pro rei honestate, pulchritudine, utilitate, quales sunt desiderii, spei, amoris, misericordiæ &c.

§. II.

De Oratione Commonitoria Petitoria & Consolatoria

Quid Commonitio? Commonitio sive Oratio commonitoria est illa, per quam vel minus probos de vitio admonemus, vel ignaros quid facto opus sit, docemus.

Quæ ejus Dispositio? *Exordium* ejus sit plenum amoris, unde expedit aliquando fingere, tueri nos velle partes illius, quem admonere debemus, ut scilicet leniatur prius, quàm moveatur.

Narratio rem clare subjiciat.

Confirmatio contineat argumenta ducta, ab honesto, utili, & glorioso.

Peroratio denique exhortationem adhibeat.

Quid est Petitio? Petitio est Oratio, qua aliquid postulamus vel pro nobis, vel pro aliis.

Quod ejus Artificium? Ejus artificium complexus est Servius; Rhetorum, inquit, est in omni petitione hæc observare.

1mo. Ut facile præstari possit, quod petitur. *2do.* Ut sit justa petitio; *3tio.* Ut habeat modum & adhibeatur in illa moderatio. *4to* Ut sequatur expedita remuneratio.

Sci-

Scite omnino Orationis hujus artificium tractat Scaliger Libr: 3. Cap: 123. *Quod Artificium Orationis consolatoriæ.*

Consolator, inquit, aut est, major, aut minor, aut æqualis. Magnitudinem intelligo aut imperio, aut dignitate, aut opibus, aut sapientia, aut ætate. Aliter enim consolabitur Nasonem Livia; aliter Liviam Naso. Hoc spectat ad imperium, dignitas autem etiam sine imperio esse potest. Veluti si Pater filium, Ciceronem Pompejus, Opibus: ut si e plebe quempiam Clientem suum Crassus. Sapientia: quemadmodum Polibium aut Matrem Seneca. De ætate non opus est exemplis. Major interponet auctoritatem, etiam objurgabit. Sapiens opponet etiam disputationem, sententiæ huic crebriores. Minor ostendet affectum: sese id a sapientibus accepisse. Æqualis testabitur amicitiam, jus commune benevolentiæ. Unde:

Exordium pro mali varietate, & pro ratione personarum ducetur, vel a laude fortitudinis, vel à modestia & ingenii sui depressione, vel a commiseratione, vel à rationibus quæ nos impulerunt ad consolationem hanc suscipiendam *vg.* ab affinitate, cognatione, amicitia, officio. Vel denique à Divina Providentia, cui nemo resistit sine crimine.

Confirmatio probabit: *1mo* Honestam & gloriosam esse in adversis animi fortitudinem. *2do* Utilem esse calamitatem ad morum nostrorum informationem. *3tio* Felices eos esse, qui hujus vitæ miseriis soluti sunt. *4to* Rerum caducarum & humanarum eam esse conditionem ut non diu permaneant. *5to.* Non paucos esse, qui eadem adversa fortuna utantur,

tur, eademque incommoda patiantur. *6to.* Adverſis illuſtriorem animum fieri juxta illud Senecæ. *Nondum ſe noſſe cœpit, qui nondum cœpit eſſe miſer. 7mo.* Denique mortem probis tranſitum eſſe ad felicem vitam.

Peroratio extollet doctrinam, virtutem, & magnitudinem animi illius quem conſolamur. *2do* Oſtendet inutilitatem & damnum, unde dolor augeatur non corrigatur. *3tio* Commendabit patientiam, quæ mitigat o - mnia.

Pro exemplo ſit brevis hæc Liviæ Marciam conſolantis adhortatio:

Cogita non eſſe magnum ſe rebus proſperis fortem gerere, ubi ſecundo curſu vita procedit: nec gubernatoris quidem artem tranquillum mare & obſequens ventus oſtendit; adverſi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. Proinde ne ſubmiſeris te, imo fige contra ſtabilem gradum, & quidquid onerum ſupra cecidit, ſuſtine, primo duntaxat ſtrepitu conterrita. Nulla re major invidia fortunæ fit, quàm æquo animo. Pervince quantum potes, imo plus, quàm potes mollitiem animi tui, & ubertim fluentes lacrymas reprime, ne grandis pietas in nepotem apud incredulos, deſperatio putetur in Deum. &c.

CAPUT III.

§. I.

De Orationibus ad genus Judiciale pertinentibus.

Ge-

Genus judiciale dicitur ex eo, quod in judiciis caussisque forensibus versetur. Præter artem bene dicendi, complectitur præterea scientiam juris. Partes habet duas accusationem & defensionem, quæ cum alia præcepta non desiderent, quàm quæ hactenus a nobis allata sunt; cumque veterum judiciorum ratio prorsus immutata jam sit; omissis quæ ab antiquioribus de hoc genere singillatim præscribuntur; hæc pauca in genere sufficiant.

Materia generis judicialis est id omne quod sub litem cadit, & judicio potest determinari. Hoc autem est vel capitale, vel Civile. Capitale versatur circa crimina; Civile circa jus quod defenditur. *Quæ sit materia Generis Judicialis?*

Status generis judicialis est causæ constitutio; Nempe:

1mo. An factum sit aliquid? *Quid est status?*
2do. Quid factum sit?
3tio. An recte & jure factum sit, an contra?

His addi possunt controversiæ circa scripta, aut tabulas nempe:

1mo. Cum defenditur non id scriptum aut tabulas velle, quod vult adversarius.
2do. Cum scripto opponitur voluntas scriptoris.
3tio. Cum scripto aut tabulis contrarium scriptum aut tabulæ afferant.
4to. Cum ex eo quod est scriptum aliud non scriptum deducitur.

Even-

Qui sunt eventus generis Judicialis? Eventus ſunt ſigna vel veſtigia rei factæ, hæc autem ſunt *vel antecedentia, vg.* minæ, contentiones, jurgia, profectio ad locum &c. *vel concomitantia.* Ut clamor exauditus, verba notata, &c. vel *conſequentia*, ut pallor in vultu, vulnera, mors.

Quod Artificium accuſationis? Exordium duci poteſt vel a miſeriis temporum & corruptis moribus, vel ab inſolentia perditi hominis, vel a neceſſitate puniendi reum propter bonum publicum, vel a criminis gravitate.

Narratio robuſta magis eſſe debet, quam ad pompam inſtituta.

In Confirmatione Crimina ſingula colliguntur, acriter ſingula exponuntur, tabulæ proferuntur, teſtes inducuntur, explicantur facti circumſtantiæ, proferuntur cauſæ adjuvantes; intentio exaggeratur; leviora argumenta præteritionibus ſubjiciuntur.

Peroratio Iræ atque odii motus excitat.

Quod Artificium Defenſionis? *Exordium* defenſionis petitur à circumſtantiis locorum, ut apud Ciceronem pro Cælio; vel circumſtantiis perſonarum, ut pro Sextio, Dejotaro, vel ab officiis collatis, ut pro Plancio, vel a perſona quæ defenditur, ut pro Archia, vel a clementia & humanitate Judicum. &c.

Confirmationis in defenſione potiſſima pars eſt confutatio; qui enim adverſarium refellit, is æquitatem cauſæ ſuæ confirmat, hæc autem Confutatio maxime urgere debet præcipua accuſationis capita, quibus

ſci-

ſcilicet everſis, reliqua facile corruant. Vide, quæ de Confutatione dicta ſunt Libr: II. Peroratio denique tota erit in precibus pro eo, quem defendimus.

§. II.

Uſus Orationum Ciceronis in omni genere Cauſarum.

In genere demonstrativo.

Oratio pro Marco Marcello gratulatoria eſt.

Pro Lege Manilia magna ex parte eſt laudatio.

Pro Archia Poeta partim eſt laudatio.

Oratio poſt reditum ad Quirites eſt gratiarum actio.

Poſt reditum ad Senatum ſimiliter.

Philippicæ 2da & 4ta invectivæ ſunt in Antonium.

Catilinariæ in Catilinam.

Actiones in Verrem vituperationes ſunt Verris.

In genere deliberativo.

Oratio de Provinciis conſularibus deliberatio eſt, ejuſque ſtatus eſt conjecturalis.

Philippica 1ma Deliberatio eſt magna ex parte, in qua quæritur? an omnia quæ in Cæſaris actis proferunt ſervanda ſint jure.

Phi-

Philippica Tertia ſuaſoria eſt & ſimul judicialis, agitur enim in ea de pænis & de præmiis.

Philippica 5ta. Deliberatio eſt, in qua quæritur? an recte legati ad Antonium decernantur?

Philippica 6ta. Hortatoria eſt, ut Populus Romanus libertatem ſuam tueatur.

Philippica 7ma Suaſoria eſt belli.

Philippica 8va Deliberatio eſt, in qua quæritur, an tumultus an bellum ſit appellandum? quod decernit Senatus de perſequendo Antonio.

Philippica 9na Deliberatio eſt, in qua quæritur: an, cum lex ſit ut in legatione interfectis ſtatua ponatur; Sulpitio mortuo in legatione Antoniana, ſtatua ſit ponenda?

Philippicæ 10, 11, 12, 13, 14. ſimiliter deliberationes ſunt.

Oratio pro pace Suaſoria eſt concordiæ inter Cives Romanos.

Oratio pro Lege Manilia ſuaſoria eſt belli.

Oratio de lege Agraria. Diſſuaſio eſt ejuſdem legis.

Oratio pro Aruſpicum reſponſis Deliberatio eſt ad Senatum.

Divinatio in Verrem, Conſultatio eſt quæriturque, an Cicero an Cæcilius agere debeat contra Verrem?

IN GENERE JUDICIALI.

Oratio pro Sextio defenſio eſt, ejus ſtatus eſt juris, quæriturque an vim publi-

blicam intulerit, negatur, imo probatur repulisse.

Oratio in Vatinium rejicit testimonium Vatinii contra Sextium.

Pro Cælio defensio est, ejus status est conjecturalis, quæriturque? an venenum Cælius pararit Cl.

Pro Corne: Balbo defensio est, ejus status est conjecturalis quæriturque, an licuerit Pompejo Balbum donare Civitate?

Orationes Pro Rabirio, Ligario, Dejotaro, Cluentio, Flacco, Murena, Sylla, Sextio Amerino & Comædo, Domo sua, Fontejo, Cæcinna Defensiones sunt.

Actio 2da & 3tia in Verrem Accusatio est.

§. III.

De Styli generibus.

Stylus est illa bene ornateque dicendi ratio, quam quisque Orator vel pro naturæ suæ vi ductuque, vel ex aliorum imitatione sequitur. *Quid stylus?*

Stylus triplex est: Jnfimus, mediocris & summus sive sublimis. *Quotuplex est stylus?*

Stylus infimus est ille, qui naturaliter aquæ instar tranquillæ purus, limpidusque fluit, nullibi tumescit, plane decurrit, cogitationes summa facilitate explicat. Ornamenta, nisi quæ sese ipsa offerunt, nulla adhibet, est ad docendum aptissimus, ad suadendam quamvis rem, & explananda negotia ipsa sua facilitate & dicendi ratione peridoneus. *Quid stylus infimus?*

Sty-

Quid stylus mediocris. Stylus mediocris qui infimo eſt paulo ſuperior, inferior ſublimi, ornamentis ex arte Oratoria abundat, acutius cogitatis & dictis, modiſque dicendi rarioribus & elegantioribus oblectatur, talem leges in Oratoriis & Philoſophicis Ciceronis Operibus; in omnibus fere ejuſdem Ciceronis, Pliniique operibus; in elegantioribus Hiſtoriæ ſcriptoribus.

Quid stylus Sublimis? Stylus ſummus ſive ſublimis ille eſt, qui vel pro rerum de quibus agit dignitate, vel animo graviter commoto, ſupra uſitatiorem dicendi modum, & cogitationibus ac ſententiis, & verbis modiſque dicendi, & figuris Ornamentiſque Oratoriis elevatur, magna in eo ubique omnia & majeſtate plena ſunt.

Triplex hic dicendi ſtylus lectione magis & imitatione Autorum, quam regulis & præceptis acquiritur.

FINIS LIBRI IV.

AR-

ARTIS RHETORICÆ

LIBER QUINTUS

De Pronuntiatione.

Pronuntiatio est vocis gestuumque pro rerum verborumque varietate apta conformatio. Quanta porro sit illius vis & utilitas docet Tullius; cum ait: *Infantes & indisertos homines actionis dignitate Eloquentiæ sæpe fructum palmamque tulisse, disertos vero bene multos, actionis deformitate, infantes fuisse judicatos*. Hinc pronuntiatio recte vocatur ab eodem Tullio. *Quædam corporis eloquentia*: & alibi ad Brutum *Sermo corporis* ab eodem appellatur. *Quid est Pronuntiatio?*

Ad recte pronuntiandum tria hæc omnino concurrant necesse est: *1mo.* Memoria. *2do* Vox. *3tio* Gestus.

Memoria est quasi fundamentum actionis, de cujus vi gratiaque multum depereat necesse est, si memoriter non pronuntietur

Ora-

Oratio, ſique Orator non poſſit a commentariis oculos & vultum avertere.

§. I.

De Memoria.

Quid est Memoria? Memoria, prout eſt, pars Eloquentiæ, definitur a Cicerone: firma rerum ac verborum recordatio.

Quotuplex Memoria? Memoria duplex eſt, altera Naturalis altera Artificialis. Prima a natura indita; altera artificio comparatur; Artificium autem memoriæ a veteribus traditum conſtat variis locis & imaginibus, loci ſe habent inſtar chartæ, imagines vero inſtar ſcripturæ. Loci autem ſunt fermè Columnæ, ſtatuæ, parietes, feneſtræ, anguli, aliaque id genus. Imagines autem, ejuſmodi ſunt adhibendæ, quæ memoriam ſcriptorum facile refricare poſſint. *vg.* Si dicendum ſit de re militari, vel de navigatione vel de agricultura, vel de literis: Rei militaris imago erit gladius, navigationis anchora, Agriculturæ ſpica vel aratrum. Literarum liber &c.

Verum ut ingenue dicam, quod ſentio; artificium illud, nonnullam forte habere poterit utilitatem ad multa ſingillatim vocabula ex ordine proferenda, aſt ad ſingula continuæ Orationis verba perdiſcenda, parum oppido, vel nihil omnino proderit; ſatius itaque erit videre, quo pacto juvari poſſit & augeri ea, quam a natura hauſimus memoria.

Ar-

Artes quibus juvari possit memoria.

Prima & præcipua ars juvandæ memoriæ est continuus labor, usus, & exercitatio. Ut observat Fabius; nihil est, quod magis cura augeatur, negligentiaque intercidat, quàm memoria, quæ si excolatur quotidie, majorem in modum confirmabitur & invalescet, sin vero negligatur, minuetur sensim & consenescet. Unde etiam monet Cicero: *Ut quod singulis diebus dixerimus, audiverimus, egerimus, vesperi commemoremus.*

2do. Juvandæ memoriæ ars est Ordo seriesque rerum; nempe unum facilius est retinere, quàm plura, quæ autem apte inter sese cohærent, ea quodammodo unum fiunt.

3tio. Multum refert, quo loco & quo tempore potissimum ediscas. Locus præstat a prætereuntibus vacuus, ne ea, quæ se foris in sensus ingerunt, memoriam impediant. Tempus autem commendatur matutinum, quanquam nec inutile erit ante somnum aliquid ediscere, ut scilicet noctu velut in stomacho cibus, ita oratio in cerebro concoquatur.

4to. Facit plurimum ad memoriam si scribatur Oratio, scripta enim altius descendunt in animum, quam lecta tantum vel audita.

5to. Si longior Oratio memoriæ mandanda est, proderit per partes, non tamen nimis exiguas illam ediscere.

6to. Si præ nimio pudore metuve titubet vacillans Tyronis memoria; cogitet de hu-

humanitate Audientium, nec tam universos sibi proponat, quam singulos.

§. II.

De Voce.

De hac dicit Cicero: *Ad actionis usum & laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet, neque tam refert, qualia sunt, quæ dicas, quàm quo modo dicantur.*

Observanda in voce.

1mo. Sit facilis & urbana.

2do. Sit articulata, & legitimis interpunctionibus distincta.

3tio. Sit firma & pro rerum ac argumentorum varietate diversa. Nempe in blanditiis & precibus lenis, & tenera; In suasionibus, monitionibus, pollicitationibus, consolationibus, gravis. In hortationibus fortis; In iracundiæ motu incitata, in miserationis motu, interrupta & flebilis. In timoris motu demissa, hæsitans, & abjecta. In voluptatis motu effusa, hilaris & tenera.

Præterea mutanda vox erit, pro variis Orationis partibus:

In exordio, nisi forte indignatione constet, voce utendum est demissiori ac verecunda. Ab exordio paulatim insurgit vox, ac in narrando quidem voce utimur aperta simplicique ad instar sermonis familiaris.

In confirmatione & argumentatione voce utimur acriori.

In

In Peroratione demum, quasi parta victoria vox solet esse excitatior; ut ita ostendat Orator se niti bonitate causæ, magnamque fiduciam in Auditorum probitate, prudentiaque collocare.

Vitanda in voce.

1mo. Extremæ syllabæ non absorbeantur.
2do. Ne canere videamur.
3tio. Ne eodem tenore semper & omnia pronunciemus.
4to. Ne supra vires vox intendatur.
5to. Ne longiori spiritu protrahatur.
6to. Ne nimium sit præceps, aut tardior.
7mo. Ne naribus potius quam ore efferri videatur.

§. III.

De Gestu.

Vocem subsequi debet gestus, & varios animi sensus cum illa simul aperire.

Gestus, ut dicit Quintilianus, est totius corporis motus & conformatio. *Quid sit gestus?*

De Conformatione totius corporis, hæc fere a probatis Authoribus præcipiuntur:

1mo. Ut status corporis sit celsus & erectus; non tamen in statuæ morem obrigescat, quasi veru deglutisset, ut facete agebat Epictetus.

2do. Ne crebris & incompositis commotionibus vehementius agitetur; ad instar actuosi cujusdam Oratoris, qui cum multum in dicendo concursasset; faceta hac ab ad-

versario suo Virginio interpellatus est interrogatione: *Quot demum passuum millia declamasset?*

De conformatione singularum corporis partium hæc habe:

Caput: Caput apte componendum est; nec erigendum in altum, nec demittendum profunde, ejus enim demissio, abjectionem animi; erectio, arrogantiam significat. Modica interim capitis demissio, tristitiam, luctum pænitentiam perbelle designat, cavendum interim erit ab ejusdem jactatione.

Vultus Vultus animi imago quædam est, oculi vero ejusdem indices. Quapropter pro rerum natura vultum indues modo hilarem, modo mæstum, nunc blandum, nunc minacem, aliquando erectum, aliquando submissum.

Frons. Frons exporrecta diffusaque hilaritatis indicium est; contra verò severitas indicatur fronte corrugata.

Supercilia. Supercilia pro argumenti varietate modo sint immota, modo moveantur, nunc inæqualiter diffideant, nunc contrahantur.

Oculi. Oculos ipsa natura dictat, ad res, de quibus loquimur accommodandos esse, ne merito rideamur cum inepto illo Rhetore Nicostrato, qui cum diceret: *O Jupiter!* terram aspiciebat; cum vero diceret *O terra!* cælum intueri solebat: Unde:

Oculi in cælum sublati animum a Superis aliquid poscentem significant; demissi animum cogitantem & meditantem produnt; nictitantes malitiam arguunt; rigidi, stupo-

rem,

rem, ſemiclauſi, adulationem & inſidias, torpentes, ſegnitiem exhibent: de his corporis partibus ſic agit Cicero pro Sextio:

Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio, tanquam Rhadamantus ille niti videretur.

Manus quomodo Orationi conformari debeant optime colligitur ex Fabio:

Manus, ſine quibus trunca eſſet actio ac debilis, vix dici poteſt, quot motus habeant; Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, hæ prope eſt ut dicam, ipſæ loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam, dubitationem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus oſtendimus? Manus

Cavendum nihilominus eſt ut monet Cicero: *ne nimiæ ſint digitorum argutiæ, neve immodica ſit illorum geſticulatio.* Hoc vitio laboravit ſummus Orator Hortenſius referente Agellio: *Cum enim manus ejus inter agendum eſſent argutæ admodum & geſtuoſæ; maledictis compellationibuſque probroſis jactatus eſt; multaque in eum, quaſi in hiſtrionem in ipſis cauſis atque judiciis dicta ſunt.*

Ut itaque & vitium manuum effugias, & earundem retineas officium. En certas earum & definitas ab Authoribus leges, quas ſequaris.

1mo. Manus in exordio non ſtatim ſolent extendi, ſed ubi paululum effervescere cæpit Oratio, manus pariter exeritur cum illa, pariterque cum illa deponitur.

2do. Pectori manus admovetur, cum de se ipso loquitur Orator, at cum alloquitur alios, ad illos extenditur.

3tio. *Manus sinistra nunquam sola gestum facit*, inquit Fabius, *dextræ se frequenter accommodat.*

4to. Urgemus crebra manuum impressione, supplicamus manibus elatis, junctisque, confirmamus manibus pronis, gravi quodam & decenti motu depressis.

5to. Admirantium est manus tollere.

6to. Manus ori admota, tacentis & silentium suadentis indicium est.

Nota. Sunt qui antiquo Areopagitarum more, omnem omnino ab Oratione gestum corporisque motum exclusum volunt; sicque frigide ac oscitanter dicant, ut ubi Periclis instar tonare, irasci, fulgurare opus esset, ipsi nullos viriles igniculos jaciant; suasque Orationes lectoris in modum decurrant. Hi velim sibi applicent illa, quæ in Marco Callidio perstringit Tullius: cum enim jure jurando affirmaret Callidius, paratum sibi ab inimico quodam venenum, remque adeo atrocem, frigide, demisso vultu, voce languidula ac sine ullo gestu referret; sic a Cicerone interpellatus est: *Tuus ille mirificus languor, mendacium clamitat, neque verò in vero crimine tantopere frigeres, &c.*

§ IV.

Praxis Rhetorica.

Cum selegeris argumentum Orationis tuæ vel ad laudem aut vituperium, vel ad suaden-

dendum aut dissuadendum, vel ad accusandum aut defendendum.

1mo. Percurres locos Oratorios tum intrinsecos tum extrinsecos, & ex iis aptiores ad rem tuam confirmandam usurpabis. Non tibi parum proderunt observationes in hoc libro superius allatæ de accomodatione locorum & eorundem amplificatione.

2do. Consule varios argumentandi modos, & statue, quem adhibere velis ad locos Oratorios a te præelectos.

3tio. Unamquamque argumentationis propositionem amplificabis, prout usus tibi fuerit, statuendo prius, quæ tibi amplificationis ratio placeat.

4to. Accomodabis figuras, ad diversos argumenti tui status, nunc docendo, nunc delectando, nunc flectendo.

5to. Denique tecum ages de dispositione partium Orationis *vg.* Unde ducas exordium? an sit addenda narratio vel non? aut quo artificio contexenda sit? quæ distributio, quæ divisio facienda? an præcedere debet confutatio vel confirmatio? quæ argumenta discutienda sunt in initio, quæ in medio, quæ in fine? qui motus seu affectus concitandi? qui stylus observandus sit? quæ idoneæ sunt transitiones ad præcipuas Orationis partes?

Hæc omnia & singula Oratoris munia suis in locis habes explicata.

Atque ut facilius rem conficias in quovis argumento tractando Ciceronis Orationem tibi propone; quam quidem integram non omnino imitaberis, sed in æconomia præcipuarum argumentationum, atque in

styli

ſtyli genere, figurarum ornatu, & tranſitionum varietate conſectaberis. *vg.* Si aliquem defendis, lege Milonianam Orationem & pro Sextio. Si inveheris in aliquem; conſule Orationem contra Piſonem, & Philippicam ſecundam. Si reum accuſas: lege Verrinas: ſi de re aliqua deliberas: vide Manilianam & pro Pace.

Obſerva autem diligenter.

1mo. Animo recte concipiendam eſſe quæſtionem, quam velis diſcutere.

2do. Quæſtionem in ſuas partes dividendam ut intelligatur, quid probandum ſit, quid amplificandum, quid prætermittendum.

3tio. Revocanda eſſe in memoriam, quæ vel audita, vel a te lecta & notata fuerint aliquando, ut, ſi ad rem tuam faciant, adhibeantur.

4to. Congeſta materia Orationis, pergendum eſſe ad diſpoſitionem, ac tandem ad Pronuntiationem Oratoriam, eo modo, quo huc-uſque dictum eſt.

FINIS ARTIS RHETORICÆ.

AD
MAJOREM DEI GLORIAM.